De Atheniensium pompis sacris

Ernst Pfuhl


Fr W v
BISSING



Herrn Dr. v. Bissing
in aufrichtiger Ergeb[enheit]
d.

DE

ATHENIENSIUM POMPIS SACRIS

SCRIPSIT

ERNESTUS PFUHL

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MCM

huius libri capita prima (Panathenaea Charisteria Mysteria) tamquam dissertatio inauguralis seorsum in lucem prodierunt.

RENARDO KEKULE DE STRADONITZ

UDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

SACRUM

INDEX CAPITUM.

PRAEFATIO.

De Atheniensium pompis sacris disputaturo primum, quid Graeci voce *πομπή* significaverint, quaerendum est. cuius vocis usum si totum examinamus, verbi *πέμπειν* vim etiam in nomine substantivo inde derivato semper servatam esse cognoscimus[1]). ea autem vis, qua sola Homerus vocem *πομπή* usurpat, postea et in latius aucta est et in angustius coartata; nam quod apud Homerum semper deductio est[2]), id postea etiam missus, missio[3]) et — des veniam verbo, cum Romani verbo vernaculo careant — pompa est[4]).

pompas sacras igitur deductiones esse colligimus, quibus homines aut deos ipsos aut symbola sacra aut munera primitias hostias deis offerendas prosequebantur[5]). sed ut nullus alius populus *τὸ καθαρόν* et

---

[1]) a voce *πομπή* dativus pendet: *πομπὴ τῆι Ἀφροδίτηι* CIA IV 2 314 c, *τῶι Ἡρακλεῖ* II 602 v. 4. *πομπὴν πέμπειν τινί* usitatissimum est. a qua notione iam Romani aliquantum, prorsus Francogalli et Germani deflexerunt. novum verbum autem, quo omnes utimur, non rem, sed formam significat. quod etiam in posteriore lingua Graeca populari occurrit: *προέλευσις*, Eustath. p. 1292, 16.

[2]) velut Z 171 *αὐτὰρ ὁ βῆ Λυκίηνδε θεῶν ὑπ' ἀμύμονι πομπῆι*, ε 32 *ὥς κε νέηται οὔτε θεῶν πομπῆι οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων*, ζ 290 *ὄφρα τάχιστα πομπῆς καὶ νόστοιο τύχηις παρὰ πατρὸς ἐμοῖο*, η 191 sqq. *ἔπειτα δὲ καὶ περὶ πομπῆς μνησόμεθ' ὥς χ' ὁ ξεῖνος ἄνευθε πόνου καὶ ἀνίης πομπῆι ὑφ' ἡμετέρηι ἣν πατρίδα γαῖαν ἵκηται*, κ 17 sq. *ἀλλ' ὅτι δὴ καὶ ἐγὼ ὁδὸν ἤιτεον ἠδ' ἐκέλευον πεμπέμεν οὐδέτι κεῖνος ἀνήνατο, τεῦχε δὲ πομπήν.* contra quod est in hymno XV, 5 *πομπῆισιν ὑπ' Εὐρυσθῆος* a posteriorum partibus stat, cf. notam 3.

[3]) velut apud Euripidem Her. 580 *Εὐρυσθέως πομπαῖσι*, Hel. 1131 *πομπαῖσιν Ἀφροδίτης.* de vento apud Pindarum Nem. VII 43 *Ζεφύροιο πομπαί*, cf. Eur. Iph. Aul. 1324 *μηδ' ἀνταίαν Εὐρίπωι πνεῦσαι πομπὰν Ζεύς.* — Thuc. IV 108 *ξύλων τε ναυπηγησίμων πομπὴ καὶ χρημάτων πρόσοδος.* tamquam impulsus saepe apud Herodotum (*πομπῆι θεοῦ*) et apud posteros (*πομπῆι θείαι*). Triptolemi missionem Aristides *πομπήν* appellat (tom. I p. 105).

[4]) haec vis primum apud Pindarum occurrit Ol. VII 145 *μήλων τε κνισάεσσα πομπά*, Pyth. V 122 *Ἀπολλωνίαις πομπαῖς* (de Cyrenaica agit via pompica), Nem. VI 67 *ἡρωίαις δὲ πομπαῖς — πολυθύτοις.*

[5]) eae pompae, quibus deorum simulacra ipsa portabantur, non aliter atque eae, quae deorum templa adibant, significari solent. sic Pollux, cum de nomophylacibus agat (VIII 94) *τὴν δὲ πομπὴν πέμπουσι τῆι θεῶι* dicit; sed hac in pompa

τὸ ἐναγές severius separavit inter se. ita Graeci ad eas pompas, quibus non sacra deducebantur, sed nescio quod *μύσος* efferebatur, significandas numquam vocibus quae sunt *πομπή, πομπεύειν* usi sunt, sed semper verbis *ἐκπέμπειν*[6]) *ἐξάγειν*[7]) *ἐκφέρειν*[8]) *ἀποπέμπειν*[9]) *ἀποδιαπομπεῖσθαι*[10]). sic etiam *θύειν* et *ἐκθύειν* distinguebant[11]). attamen nobis etiam hae *ἀποπομπαί*, quia pomparum formis instituebantur, tractandae sunt. cuius generis apud Athenienses ea pompa est, qua pharmaci sexto Thargelionis die educebantur, eiusdem mystarum *ἅλαδε ἔλασις*, qua maculas abluebant et in mare eiciebant, eiusdem Epitaphiorum magna illa *ἐκφορά*.

atque ne eas quidem pompas, quibus neque sacra neque piacula ducta sunt, sed e civibus electi ad deorum fana mittebantur, omittemus. quales feminae Thesmophoriis duas instituebant, unam milites, cum impetu facto Apollinem Boedromium adirent.

iam ad singulas pompas aggrediamur, ut postea aliorum Graecorum pompis sacris comparatis, quomodo de Atheniensibus iudicandum sit, videamus. pauca autem de fontibus praefanda sunt. nam cum heortologorum veterum opera ipsa perierint neque eae, quae maximam partem a scholiastis et lexicographis servatae sunt reliquiae collectae sint, nedum ita tractatae, ut quid quaeque valeant accurate sciamus, e poetarum philosophorum historicorum oratorum scriptis variis, e scholiis, e lexicis modo haec modo illa colligenda erant. deinde tituli a quinto a. Chr. n. saeculo usque ad quintum p. Chr. n. satis multa atque gravia attulerunt. inter quos tituli ephebici eminent.

denique monumentis praeter Parthenonis zophorum ad pompas sacras restituendas perraro usus sum.

---

dea ipsa deducebatur, cf. Photius = Suidas *οἱ νομοφύλακες τίνες*; praeterea voce *προπέμπειν* utebantur, cf. titulos ephebicos (CIA II 466 sqq.): *προέπεμψαν τὰ ἱερὰ καὶ τὸν Ἴακχον ὡσαύτως.* — *προπομποί, πέμπειν, πομπή* simul occurrunt in Aeschyli Eumenidum exodo (v. 983, 1000, 1011). — pompas vel ea quae in vasculis saepe videmus picta agmina parva appellata esse constat. cf. Ar. Av. 849—856.

6) Hes. *κραδίης νόμος.*

7) Harp. *φαρμακός.*

8) *ἐκφέρειν, ἐκφορά.* sic funera appellabantur.

9) Lys. VI 53.

10) Lys. l. c., Plat. leg. IX p. 877 e, X p. 900 b, cf. Hes. *ἀποπομπεῖν.* intercedit autem eadem ratio inter *ἀποπομπεῖν* et *ἀποτρέπειν*, quae inter *ἐξελαύνειν* et *ἀμύνεσθαι.* — *ἀποπομπαί* Isocr. V 117. cf. Eustath. p. 1935.

11) *ἐκθύειν ἐξιλάσκεσθαι* Hes., cf. Suid. s. v. (Herod. VI 91). Dio Cass. 41, 14, *οὐδὲν (τῶν τεράτων) ἐξεθύσαντο.* Eustath. p. 1223, 51 *φόνον ἐκθύσασθαι*, cf. Theophr. hist. plant. V 9, 8, *ὃ δὲ καλοῦσιν οἱ μάντεις Ἐλλειθυίας ἄφεδρον ὑπὲρ οὗ καὶ ἐκθύονται*, Strab. VI 2, 11, Plut. Alex. L. eodem intellectu apud Soph. El. 572, Eur. Or. 191, frgm. inc. 901; translato Cycl. 371. ad *ἐκθύματα* facienda Athenienses proprios hieropoeos sortiebantur, Arist. *Ἀθ. πολ.* LIV 6.

I.

DE POMPIS ATTICIS.

a. temporis certi.

ΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑ.

1. de fontibus.

Panathenaicae pompae fons uberrimus, qui ab ipso saeculo quinto adhuc aetatem tulit, Parthenonis zophorus est. quae partes autem et temporum et barbarorum iniquitate pessum datae sunt, eae omnes fere ita restitui possunt, ut nihil grave deesse certum sit[1]). tamen eximio fonte cautius utamur necessarium est, nam primum artifex pompam non ita, ut uno certo temporis momento conformata erat, in templi parietibus proposuit, sed summarum artis legum peritissimus ita sculpsit, ut qui a latere occidentali orsus ad portam orientalem procederet pompam praeparatam ductam finitam videret, atque id non solum is qui parietem septentrionalem, sed etiam is qui meridionalem praeteriret. quo factum est, ut duas pompas integras fingeret, quarum maior, quae ab hominum parte maiore videbatur, a latere occidentali per septentrionale, minor per meridionale latus ad orientale ducitur. itaque, cum pompae ordinem e zophoro cognoscere conemur, duae pompae caute comparandae sunt.

accedit quod neque in hominum bestiarumque numero neque in ea, quae inter singularum pompae partium magnitudinem intercedit, ratione niti possumus. velut decem aut undecim bobus hecatombe significatur[2]) et equites pulcherrimi currusque ita praevalent, ut pedites nisi pauci in pompa fuisse non videantur. quod ita non fuisse scimus[3]).

sed etiam minora ea quidem, nobis tamen non minus gravia secundum artis leges mutata sunt: plano enim prostypo zophorus sculptus et

1) Michaelis, Der Parthenon p. 203—265.
2) Michaelis l. c. p. 240.
3) v. i. p. 18.

in pariete alto ita positus erat, ut nisi angulo hebeti non spectaretur et ea tantum, quae a pavimento refulgebat, luce collustraretur. quam simplicissima igitur omnia, quam facillima cognitu artifices exprimere debebant; unde tela, arma, cuiusvis generis utensilia neglecta esse suspicandum est. praeterea etiam in singulis figuris certo modo atque numero componendis artis leges plurimum valuerunt. velut canephori hac de causa canistris carent[4]).

accedit quod multa aere affixa, multa picta erant; quae nunc quidem desunt.

cum igitur zophorus eum, quem Athenienses saeculo quinto praebebant, pompae aspectum summa arte contractum et nobilitatum exprimat, tamen singula nisi omnibus diligenter pensatis ex eo colligere non possumus. ergo quae in zophoro sunt, ea certo in pompa fuisse statuendum est; sed ea, quae aliis confirmantur testimoniis, ea de causa, quod in zophoro desiderantur, pompae abiudicanda non sunt.

deinde tituli multa atque gravia afferunt. e quibus decreta publica duo eorundem quorum zophorus temporum sunt[5]), unum, quo de hieropoeorum munere agitur, Lycurgi aetatis est[6]). tum per omnia fere saecula modo haec modo illa e titulis diversissimis colliguntur, denique vel circa annum 400. p. Chr. n. in titulo quodam honorario currus navalis commemoratur[7]).

praeterea scriptores multa et varia ad pompae formas cognoscendas praebent. e quibus ei, qui pompam accurate descripserunt, heortologos dico, ita pessum dati sunt, ut nisi pauca inde non discamus. tum unus Himerius — si vis etiam Philostratus qui eius navis, quam Herodes Atticus anno 134. donaverat, viam tradit[8]) — paulo pluribus verbis pompam describit[9]). sed utinam ille homo doctus fuisset, non orator, cuius insanum *παρένϑυρσον* incredibile quantum exsultat. contra graviora sunt, quae e singulis scriptorum variorum locis colliguntur. gravissimum autem atque antiquissimum testimonium Homeri versus in *B* 550.—554. sunt; unde pompae formam saeculo sexto eandem fere atque quinto fuisse elucet[10]). deinde per totam antiquitatem singulas res dispersas invenimus, velut saeculo quinto apud poetas tragicos et comicos, quarto apud Platonem Xenophontem oratores, in Aristotelis re publica Atheniensium, in

---

4) v. i. p. 21, not. 137.

5) CIA I 31 et 37.

6) CIA II 163.

7) CIA III 776.

8) vit. soph. II 1, 5.

9) or. III 12—16.

10) de Wilamowitz Aristot. und Athen I p. 239, 106.

Theophrasti et Demetrii legum fragmentis. deinde saeculo tertio comici denuo nonnulla afferunt. ex Atthide autem praeter Erichthonii instituta (marmor Parium; Philochorus [11]) nihil, quod ad pompam pertineat, traditur. accedunt posteriorum loci singuli, velut eius, qui Cirim composuit, Ovidii, Plutarchi, Pausaniae, Aeliani, Philostrati, Heliodori, Himerii.

e quibus testimoniis, quae Meursius primum collegit[12]), recentiores multi pompam breviter describere conati sunt. quod paucis verbis Carolus Fridericus Hermannus[13]), paulo uberius Schoemannus fecit[14]). deinde Michaelis, cuius operae zophorum accuratissime restitutum debemus, omnia, quae ante hos triginta fere annos praesto erant, testimonia congessit[15]). tum Stengelius omnibus testimoniis principalibus usus pompam adumbravit[16]), denique Augustus Mommsenius accuratius de pompa Panathenaica egit[17]). de quibus omnibus, ut paucos e multis antiquioribus nominavi, ita iudicium ferre nolo, quippe qui solas pompas sacras tractem. tamen quin pauca de Mommsenii libro dicam, facere non possum. ac primum quidem Mommsenius testimonia accurate examinavit, de singulis rebus gravioribus quaestiones peculiares instituit, aedificium perfectum atque absolutum exstruere conatus est. deinde nonnulla gravia, quae adhuc parum recte perspecta erant, illustravit[18]). sed ea quae ille exstruxit aedificia ea de causa nimis saepe stare non possunt, quod in coniecturis male munitis nituntur[19]). accedit quod nonnumquam etiam gravia testimonia[20]) atque

---

11) de Atthide v. i. p. 28. cum notis 179—185.

12) Panathenaea sive de Minervae illo gemino festo liber singularis.

13) Handbuch der gottesdienstl. Altertümer § 54.

14) Griech. Altertümer II p. 447 sqq.

15) l. c. p. 203 sqq, 318 sqq. (Anhang III).

16) Die griech. Cultusaltertümer (Iwan Mueller Hdb. V 3) p. 198 sq.

17) Feste der Stadt Athen p. 107—145.

18) velut Atheniensium vetus sacrificium duplex, p. 116 sqq.

19) cf. quae de peplo qui aliis temporibus alio modo oblatus sit dicit p. 114 sqq., hydriaphoros p. 142, 2, Panathenaeorum origines p. 155 sqq. peplum Lycurgi temporibus in minorum Panathenaeorum pompa non fuisse inde concludit (p. 112), quod athlothetae, quibus peplus curae erat, (Ar. Ἀϑ. πολ. LX 1) in titulo II 163. non commemorentur. sed eodem loco Aristoteles etiam pompam athlothetis curae fuisse dicit: unde ne hanc quidem quotannis ductam esse concludere Mommsenius cogi potest. tum Harpocrationis verbis nulla causa allata Isaeo ipsi attributis tamquam quarti a. Chr. n. saeculi testimonio utitur p. 42 1. graviora aliis in capitibus sunt, quae ubi evitari non potuit suo loco notavi.

20) velut cum magna Panathenaea a Pisistrato instituta esse schol. Aristid. I p. 189 4 secutus dicat (p. 61), illa anno 566. Hippoclide archonte condita esse nullo verbo commemorat, quamquam et praeclare traditum (a Pherecyde in historiarum libro primo quod Didymus exscripsit, v. Marcellin. vit. Thuc. 3, Euseb. Chron. Ol. 53, 3) et satis notum est (Busolt Griech. Gesch.[2] II p. 344 2); Philaidis autem valentibus Pisistratum tam gravia novasse verisimile omnino non est. sed Bacchi dei rustici

ea, quae a viris doctis iamdudum absoluta sunt, neglexit[21]). contra Stengelius in citandis et veterum locis et recentiorum scriptis perfectam praestitit curam atque diligentiam. —

2. de pompae partibus.

iam pompae, quae 28. Hecatombaeonis die[22]) mane[23]) ducebatur, formam, qualis a saeculis sexto et quinto videtur fuisse, restituere conemur, ut postea naturam et origines perquirere possimus. ab iis autem, quae Minervae in pompa offerebantur, ordiri iuvat: a peplo dico et a sacrificiis.

α. de peplo.

peplum semper Poliadis vetustae statuae ligneae et oblatum et indutum esse denuo statuendum est[24]). nam hoc simulacrum semper peplo vestitum erat[25]) neque aliud, cui peplus indui potuisset, temporibus antiquis exstabat. quod ne is quidem, qui peplum in Parthenone sculptum esse magni momenti faciat, negare potest; eiusdem enim Minervae templum novum sollemnium summorum summa cerimonia, quae populi Atheniensis splendorem prae se ferebat, sculpta ornatum est. ut autem Poliadis tota pompa est, ita peplus semper eodem simulacro vetustissimo indutus[26]). nam Partheni peplus aureus erat[27]).

---

sollemnia postea Pisistratus tyrannus instituit (sed v. de Wilamowitz Hom. Unters. p. 248 18). item Strattidis testimonio (Harp. *τοπεῖον*, unde Suid. = Phot. = Et. M., Meineke 2, 772 (I 432), Michaelis testim. 165, quod nec minoris nec maioris gravitatis est quam id in quo nititur (CIA II 314), neglecto Athenienses, cum currum navalem instituerent, Isidis navem imitatos esse dicit p. 116.

21) velut illi *ἄξιοι τοῦ πέπλου* p. 115, cf. Diels mus. rhen. XXX p. 136, Studniczka Altgriech. Tracht p. 137, 17. alia aliis locis sunt, cf. ex. gr. Dionysia not. 12. item adhuc quomodo de forma *Μουνυχία* iudicandum sit nescit (p. 452 cum notis 2. et 4.) et Thesmophorium in Pycne fuisse ea de causa negat (p. 320 5), quod aedificium illic non fuisset.

22) Procl. ad Plat. rem publ. p. 327 a, Tim. p. 9.

23) CIA II 163 v. 34 [*ἅμα ἡ*]*λίωι ἀνιόντι.*

24) cf. Doerpfeld Athen. Mitteil. XII p. 200, Reichel Vorhellen. Goetterculte p. 20.

25) CIA I 93 v. 11, Plut. Alcib. XXXIV, Hes. *Πραξιεργίδαι*, cf. Toepffer Att. Geneal. p. 133 sq., Et. M. *κατανίπτης*, cf. Plynteria, Studniczka l. c. p. 139 sqq.

26) quod ad demonstrandum vel Aristophanis versus Av. 826—828 sufficerent: *λιπαρὸν τὸ χρῆμα τῆς πόλεως. τίς δαὶ θεὸς πολιοῦχος ἔσται; τῶι ξανοῦμεν τὸν πέπλον; — τί δ' οὐκ Ἀθηναίαν ἐῶμεν πολιάδα;* recto scholiasta dicit: *τῆι Ἀθηνᾶι πολιάδι οὔσηι πέπλος ἐγίνετο παμποίκιλος, ὃν ἀνέφερον ἐν τῆι πομπῆι τῶν Παναθηναίων.* quod idem etiam in proverbio Zen. I 56 servatum est, cf. not. 50. praeterea artifex Erichthonium simulacri veteris cultum instituentem in Parthenonis metopis meridionalibus induxerat (Michaelis tab. 3, XVII—XXI, Pernice Jahrb. X p. 93 sqq., et tab. 3) inde autem, quod plus centum ergastinarum posterioribus temporibus in

iam testimonia singula examinemus. quae antiquissima sunt Aristophanis in Equitibus[28]) et in Avibus[29]), Euripidis in Hecuba[30]) et in Iphigenia Taurica[31]), quam gravis quamque notus peplus illa aetate fuerit, demonstrant: nam ubi de dea ipsa agitur, statim pepli mentio fit. deinde duo testimoniorum genera sunt a quarto a. Chr. n. saeculo usque ad tertium p. Chr. n., quorum haec peplum magnis Panathenaeis, illa quotannis oblatum esse affirmant. magna autem Panathenaea Plato philosophus[32]) Philemo comicus[33]) is qui Cirim composuit[34]) Aristophanis[35]) et Euripidis[36]) scholiastae veteres Harpocratio[37]) Heliodorus[38]) testantur. contra saeculo quarto exeunte peplum annuum fuisse e Stratoclis decreto[39]) colligimus et idem alius Aristophanis scholiasta ita affirmat, ut eum peplum semper quotannis ductum esse putavisse eluceat[40]).

quod quomodo diiudicandum sit videamus. ac primum quidem peplum aliquando quotannis oblatum esse fatendum est, quia duobus testimoniis discretis inter se refertur. quem morem vel ante Stratoclis decretum, quod Diodorus servavit (a. 307. a. Chr. n.)[41]), exstitisse ea de causa

---

peplo texendo occupatae erant (v. i. p. 24), vestis magnitudinem definire non possumus: nam honoris, non laboris causa virgines nobiles hoc munere fungebantur; atque ad Reichelii peplum immensum portandum ne ipsa Paralus quidem aut Salaminia in curru posita suffecisset. praeterea quod Reichelius ea, quae Benndorfius hac de re exposuit (v. i. not. 64), nullo verbo tetigit miror.

27) e Lactantii verbis Instit. II 4 (cf. Petersen Kunst des Phidias p. 36) nihil colligi posse non est quod demonstremus.

28) v. 565 sq. *εὐλογῆσαι βουλόμεσθα τοὺς πατέρας ἡμῶν ὅτι ἄνδρες ἦσαν τῆσδε τῆς γῆς ἄξιοι καὶ τοῦ πέπλου.*

29) v. 826, v. not. 26.

30) v. 466 sqq. 31) v. 222 sqq.

32) Euthyphr. VI p. 6 c.

33) Plaut. mercat. 64 sq., cf. Meineke 4, 8 (II 825).

34) v. 24 sqq.

35) schol. Equit. 566, Pac. 418. primum scholium Symmachi esse eo, quo pepli naturam declarat et viae sacrae locos principales enumerat, claro et simplici dicendi genere commendatur. quare scholium e bono fonte fluxisse putandum est. quod Suidas exscripsit.

36) schol. Hec. 468 quod fontem egregium sapit.

37) s. v. *πέπλος*. fortasse etiam apud Isaeum magna Panathenaea nominata erant.

38) Aethiop. I 10. qui non suorum temporum consuetudinem, sed opinionem vulgarem refert.

39) Diod. XX 46.

40) schol. Equ. l. c.

41) illud in quo nitimur *κατ' ἐνιαυτόν* Dindorfius nulla alia causa commotus, nisi quod idem paulo antea scriptum est, Wesselingium secutus eiecit. quod, si decretum publicum subesse respexisset, certo non fecisset: *οἱ δὲ Ἀθηναῖοι γράψαντος ψήφισμα Στρατοκλέους ἐψηφίσαντο — — συντελεῖν αὐτοῖς κατ' ἐνιαυτὸν ἀγῶνας καὶ πομπὴν καὶ θυσίαν, ἐνυφαίνειν τε αὐτοὺς εἰς τὸν τῆς Ἀθηνᾶς πέπλον κατ' ἐνιαυτόν.*

censendum est, quod, si Stratocles peplum usque ad illum annum per quinquennium oblatum Antigoni et Demetrii gratia quotannis offerendum esse decrevisset, Diodorus hoc certo retulisset. accedit quod primus peplus, qui illorum imaginibus intextis profanatus erat, fortuito a vento dilaceratus est[42]); quod cum deorum iram significare videretur, certo, ut hominum imagines denuo non intexerentur, effecit[43]): quare, si peplus quotannis offerendus simul cum illis imaginibus institutus esset, etiam hic simul esset abolitus, ut re vera numquam quotannis oblatus esset. attamen Aristophanis scholiasta hoc factum esse testatur: ergo ante annum 307. peplus quotannis offerebatur. cuius moris certum terminum, post quem institutus est, Platonis Eutyphro praebet. sed fortasse etiam Lycurgi temporibus peplus nisi per quinquennium non offerebatur[44]). quarto saeculo igitur, fortasse intra annos 338. et 307., peplus quotannis offerendus institutus est. quae consuetudo nisi per centum maxime annos aut etiam per brevius tempus servata non videtur esse: nam vel Philemonem comicum morem veterem denuo testatum esse verisimile est[45]). accedit quod posteri fontibus antiquioribus usi praeter unum scholiastam peplum quotannis oblatum non noverunt; quod offenderet, si novum morem per longum tempus exstitisse putaremus.

quoniam quomodo peplus oblatus sit, quantum quidem fieri potuit, constituimus, nunc ad moris origines aggrediamur. quas facile cognoscimus: nam ubi deorum simulacra lignea facta sunt, vestes desiderabantur. ab eo igitur tempore, quo Erichthonius, ut Atthidis genere dicendi utamur[46]), Minervae Poliadis simulacrum ligneum in arce collocavit et sollemnia condidit, peplus quinto quoque anno oblatus est. quod antiquitus per quinquennium factum esse ea de causa certum est, quod peplus quotannis textus Plynteriis esset oblatus; sed Plynteriis quater lautus[47]) semper Minervae sollemnibus summis tamquam totius populi donum offerebatur[48]).

---

[42]) Philippidis comici fragm. inc. apud Plut. Demetr. XII (Meineke 4, 474—475; II 1121).

[43]) de hominum imaginibus in peplo pictis v. i. not. 71 in fine.

[44]) in titulo II 163 quo accuratius de minorum Panathenaeorum pompa et sacrificio agitur nullo verbo pepli mentio fit. quod in iis lapidis partibus, quae perierunt, factum esse verisimile omnino non est.

[45]) cf. not. 33. cum spatium longum significari necessarium esset, Philemonem *τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις* scripsisse neque nisi illis peplum eius temporibus oblatum esse certum est. quod, ne quis Plautum vocem *Παναθήναια* in *quincto anno quoque* vertisse dicat, moneo.

[46]) Apollod. III 14, cf. quae de Erichthonii institutis quae in Atthide referebantur infra exposui p. 28.

[47]) cf. Plynteria.

[48]) peplum tamquam ovium educationis primitias oblatum esse conici possit; sed neque quotannis oblatus est et a necessitate originem duxit; nam ut maritis et filiis, ita feminae ligneo Minervae simulacro vestem texebant.

cuius moris vetustatem vel inde cognoscimus quod errhephori nobiles laborem instituebant[49]); quod etiam fabulis exprimi videtur[50]). praeterea in eius pepli, qui Elide Junoni quinto quoque anno offerebatur, similitudine niti possumus[51]). quam consuetudinem postea ii, qui certaminum penteteride instituta magna Panathenaea condiderunt, secuti sunt (anno 566.).

iam quomodo peplus in pompa ductus sit, quaeramus. quod quantum ad saecula posteriora liquet. nam peplum tamquam currus navalis velum in antenna suspensum[52]) usque ad Propylaea provectum[53]), deinde malo e nave soluto in vexilli modum in arcem portatum esse certum

---

[49]) Harp. *ἀῤῥηφορεῖν* cf. Et. M. p. 149, 13. Chalceis ultimo Pyanopsionis die sacerdotes laborem cum errhephoris instituebant, Et. M. p. 805, 46. de ergastinis v. i. p. 22. ceterum eam pompam, quam ersephoros puellas Ersae duxisse scholiasta ad Aristoph. Lysistr. v. 642. dicit, ex Istri verbis fictam esse hoc loco addam: in Hersae enim honorem ersephoriam fieri Ister dixerat (cf. Wellmann de Istro Callimachio p. 103). eadem glossa, quae in scholio, in Et. M. *ἀῤῥηφόροι* paulo accuratior est, quamquam Ister non nominatur. ubi rectius dicitur *ταύτῃ γάρ ἦγον τὴν ἑορτήν.*

[50]) Phot. = Suid. *προτόνιον*; sed e paucis verbis, qualis fabula fuerit, cognosci nequit, cf. Pollux X 191. ineptum est, quod ad proverbium *Ἀκέσεως καὶ Ἑλικῶνος ἔργα* dicit Zen. I 56 (Diogen. II 7) *οὗτοι γὰρ πρῶτοι τὸν τῆς Πολιάδος Ἀθηνᾶς πέπλον ἐδημιούργησαν*, praesertim cum Acesea Patarensem esse dicat et Heliconis sagum Alexander Magnus in pugna ad Issum commissa portaverit (Plut. Al. XXXII). praeterea puellae, non viri Athenis peplum texebant. quem errorem ex epigrammate *τεῦξ' Ἑλικῶν Ἀκεσᾶ Σαλαμίνιος ᾧ ἐνὶ χερσὶ πότνια θεσπεσίην Παλλὰς ἔτευξε χάριν* ortum esse conicio. (Athen. II p. 48 b, cf. Eustath. p. 1400, 12; Anthol. Gr. IV 160, 206; Palat. Append. 863, 334).

[51]) Paus. V 16, 2 sqq., cf. VI 24, 10, II 17, 6. tamen quin hic mos temporibus vetustissimis attribuendus sit, non est quod dubitemus. etiam Elide certae feminae nobiles (sedecim) peplum texebant. cf. chitona quem Lacedaemonii Apolloni offerebant, Paus. III 16, 3. *φᾶρος* Alcmanis virgines Orthiae offerunt, Bergk fragm. 23 v. 60, Diels Herm. XXXI p. 359. idem e Milesiorum et Syracusanorum Diana chitona concludere dubito, cf. Studniczka Altgriech. Tracht p. 17, 18, 24, 136. quae autem non diebus sollemnibus, sed pro occasione tamquam anathemata offerebantur vestes (velut Hecubae peplus *Z* 286—310) huc non pertinent.

[52]) schol. Ar. Equit. 566, Pac. 418, Phot. *ἱστὸς καὶ κεραία*; Philostr. vit. soph. II 1, 5, schol. Aristid. t. I p. 197, 8, Heliod. Aethiop. I 10, Himer. orat. III 12 sqq. quae Himerius dicit de sacerdotibus viris et feminis Eupatridibus, quibus navis impleta in pompa ducta sit, fide omnino digna non sunt, atque fortasse ex aliorum curruum navalium similitudine, velut Bacchi Milesii, cuius gubernaculum sacerdos regebat (Philostr. vit. soph. I 25, 1 et 11, Aristid. XXII t. I p. 440 et XV p. 373 Dind., cf. Usener Sintfluthsagen p. 116 sqq.), ea quae ille profert inepte ficta originem ducunt. praeterea Himerius de suae aetatis Panathenaeis vernis agit (3). sed singula refutare quamquam facile fieri potest nolo. — navem Panathenaicam sculptam videmus in zophoro illo, qui est in templo *Παναγίας Γοργοεπηκόου*, Svoronos Journ. numism. II t. V.—VI., Thiele Antike Himmelsbilder p. 59. (Boetticher Philol. XXII p. 385 sqq. = Schreiber Bilderatl. t. LXII. 1—2; Friederichs Wolters 1909 sq.).

[53]) schol. Ar. Equit. l. c., Philostr. vit. soph. II 1, 5, cf. i. p.

est[54]. quem morem ab eis temporibus, quorum Symmachi fontes erant[55], usque ad medium alterum p. Chr. n. saeculum novimus[56]. deinde circa annum 400. p. Chr. n. navem nonnunquam usque ad templum ipsum ductam esse scimus[57]; quod ante annum 134. p. Chr. n. certo nondum factum erat[58]. iumentis autem Athenienses ante Herodem Atticum equis utebantur[59], postea, quantum quidem tempus illius navis integra erat, machina quadam arteficiosa[60].

deinde, ut ad tempora antiquiora ascendamus, eundem malum cum antenna splendide exornatum exeunte saeculo et quarto — Philippide teste[61] — et quinto — teste Strattide[62] — invenimus. currum igitur illis temporibus exstitisse necessarium est, navem non: nam facile Athenienses vexillum — nihil aliud enim ligna in T literae modum conformata[63] fuerunt — malum et antennam appellare poterant. cui opinioni Strattidis verba favent, cum dicat *ὥσπερ ἱστίον*. atque etiam e tituli, qui est de Philippidis legatione, verbis *διελέχθη δὲ καὶ ὑπὲρ κεραίας καὶ ἱστοῦ* tum solum vexillum splendide ornatum esse apparet. quocum bene convenit, quod in symbolo quodam plumbeo Gottingae asservato currus quatuor rotarum expressus est, in quo ligna videmus labari similia, quae malum et antennam esse censeas.[64] sed pepli currum re vera hoc in symbolo fictum esse ea de causa parum verisimile est, quia peplus ipse

---

54) alio modo peplus ita ut in pompa splenderet portari non poterat atque etiam hodie vexilla sic in pompis portantur; quale Raffaeli Sancta Virgo erat. hac igitur de causa malus antennaque splendide exornabantur.

55) commentarii in Aristophanem antiquiores, schol. Equit. l. c., cf. not. 35.

56) a. 134, Philostr. l. c.

57) CIA III 776.

58) hanc gloriandi occasionem, si umquam antea factum esset, Herodes certo non praetermisisset. cuius navem per se non nimis notabilem (certo igitur non maiorem quam quae in arcem duci potuisset, si voluisset Herodes) Pausanias videtur spectasse (I 29, 1).

59) hoc, cum per se verisimile sit, eo confirmatur, quod e tali curru quali apobatae utebantur pepli currus factus videtur esse (v. i. p. 17 et 32). accedit quod in symbolo plumbeo quod Gottingae asservatur (v. i. cum notis 64 et 65), si modo ad currum Panathenaicum referri potest, equi expressi sunt. quos Philostratus fortasse suo more synonymo *ὑποζύγια* significat seu melius obscurat — nisi mulos significare voluit.

60) Philostr. l. c. cuius *ὑπογείους μηχανάς* equos fuisse suspicor qui in ipsa nave latebant. qualibus curribus navalibus clerici Isabellam Britannam in urbem Coloniam deduxerunt, cf. Burckhardt Cultur der Renaissance II p. 146.

61) CIA II 314 in Philippidis comici honorem. unde malum cum antenna et pretiosum et artificiosum fuisse colligendum est.

62) Strattis apud Harp. *τοπεῖον* (Meineke 2, 772; I 432): *τὸν πέπλον δὲ τοῦτον ἕλκουσ' ἀνείοντες τοπείοις ἄνδρες ἀναρίθμητοι εἰς ἄκρον ὥσπερ ἱστίον τὸν ἱστόν.*

63) Phot. *ἱστὸς καὶ κεραία.*

64) Benndorf Beiträge zur Kenntnis des attischen Theaters (Zeitschr. für oesterr. Gymn. XXVI) p. 70, in tabula n. 5.

deest. quod Diltheyus, qui symboli et apographum et interpretationem accuratam benevole mecum communicavit, iure contra Benndorfium monet[65]).

quando igitur currus navalis institutus sit, cum prima a. Chr. n. saecula pateant, accuratius definiri nequit. sed non tam Isidis navem quam Bacchi Athenienses imitatos esse puto[66]).

quibus absolutis iam tempora antiquissima aggredi possumus. atque pepli offerendi morem simul cum statuae ligneae cultu institutum esse supra exposui. infra autem currus ab initio in pompa fuisse demonstrabitur[67]); unde peplum semper tamquam vexillum in curru positum et in pompa ductum esse sequitur.

qui currus in Parthenonis zophoro ea de causa sculpi non poterat, quod malus cum peplo nimis altus erat[68]). quare sculptor eximio suo artis genere usus cerimoniam ita significavit, ut peplum iam a magistratu quodam sacro[69]) receptum in zophori loco nobilissimo fingeret; nam pompae praeparatae, quae in lateris occidentalis parte meridionali est, finita et absoluta pompa advenientibus et septentrionalis et meridionalis agminis capitibus inclusa respondet. ut autem a pompa praeparata in utramque partem agmina discedunt, ita in absolutam denuo conveniunt. quod Athenienses facillime intellexisse puto.

de eis, quae in peplo picta erant, primus Boeckhius accuratius egit[70]). sed non omnia, quae ille intexta esse suspicatus est, in peplo fuerunt:

---

[65]) peplum propter percutiendi difficultatem expressum non esse ea de causa opponi nequit, quod in nummis gemmisque navium vela semper fere accurate expressa sunt, neque magis in eius ligni quod in Alexandri Magni nummis Victoria portat (Mueller Numismatique d'Alexandre le Grand p. 2, tab. II 15—18) et quod Victoria Samothracia olim tenuit (Conze Hauser Benndorf Neue archaeologische Unters. auf Samothrake p. 79 sqq.) similitudine niti possumus. nam illud utrum semper malus cum antenna, vexillum, stylis sit an modo hoc modo illud, parum constat (cf. Studniczka, Siegesgoettin p. 25, Kubitschek Rundschau ueber ein Quinquennium antiker Numismatik p. 24). Benndorfii autem coniectura qua currum ante Propylaea relictum induci suspicatus est (ceterum per se parum probabilis) ea de causa stare non potest, quod Propylaeorum leaena, quam in symbolo expressam esse putat, navis *πρύμνα* est.

[66]) quod Brueckner et Pernice coniecerunt (Ath. Mitteil. XVIII p. 153) navem Panathenaicam antiquissimorum temporum esse pro eis, quae supra disputavi, teneri vix poterunt. sed non magis inde, quod in Ciri currus, non navis est, Augusti temporibus navem nondum exstitisse colligi potest (Studniczka Altgriech. Tracht p. 137). nam is qui Cirim composuit non quae vidit, sed ea refert, quae in libris antiquioribus legit.

[67]) v. i. p. 30, cf. mar. Par. v. 17, Er. Cataster. XIII.

[68]) eadem de causa ne manibus quidem portatum vexillum sculpi potuisse non est quod moneam.

[69]) fortasse hieropoeus est (Furtwaengler Meisterwerke d. griech. Plastik p. 192), sed etiam Praxiergida esse potest, cf. not. 25.

[70]) de tragic. Graec. princip. p. 194 sqq.

semper enim intexebatur deorum victoria de Gigantibus reportata, in qua Minerva Enceladum prosternens cum Iove primum locum obtinebat [11]).

---

[11]) testimonia quae solam gigantomachiam in peplo textam esse demonstrant haec sunt: Eur. Hec. 466 sqq. cum scholio quod Strattidem eiusdem rei testem citat: ἢ Παλλάδος ἐν πόλει τᾶς καλλιδίφρου θεᾶς ναίουσ', ἐν κροκέωι πέπλωι ζεύξομαι ἅρματι πώλους ἐν δαιδαλέαισι ποικίλλουσ' ἀνθοκρόκοισι πήναις, ἢ Τιτάνων γενεὰν τὰν Ζεὺς ἀμφιπύρωι κοιμίζει φλογμῶι Κρονίδας; (Titanum et Gigantum pugna Euripidi eadem est). — ὅτι δε κρόκινός ἐστι καὶ ὑακίνθινος καὶ τοὺς Γίγαντας ἐμπεποίκιλται δηλοῖ Στράττις. Eur. Iphig. Taur. 222 sqq.: οὐδ' ἱστοῖς ἐν καλλιφθόγγοις κερκίδι Παλλάδος Ἀτθίδος εἰκὼ καὶ Τιτάνων ποικίλλουσα.. idem e Platonis Euthyphrone VI p. 6 b—c concludendum est: καὶ πόλεμον ἄρα ἡγεῖ σὺ εἶναι τῶι ὄντι ἐν τοῖς θεοῖς πρὸς ἀλλήλους καὶ ἔχθρας γε δεινὰς καὶ μάχας — — καὶ δὴ καὶ τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις ὁ πέπλος μεστὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν; accedunt scholia: in Arist. Equit. 566 καὶ τοῦ πέπλου· οὗ ἐγέγραπτο Ἐγκέλαδος ὃν ἀνεῖλεν ἡ Ἀθηνᾶ· ἦν δὲ εἷς τῶν Γιγάντων. Procli in Plat. Tim. p. 26 ὁ τῶν Παναθηναίων πέπλος ἔχει τοὺς Γίγαντας νικωμένους ὑπὸ τῶν Ὀλυμπίων θεῶν, in Plat. rem publ. p. 327 a πέπλος — — καθ' ὃν ἐδείκνυτο ἡ κατὰ τῶν Γιγάντων ταύτης τε καὶ τῶν Ὀλυμπίων νίκη θεῶν; in Aristid. XIII t. I p. 197, 8 Dind. — ἅρμενον ἐν ὧι ἦν γεγραμμένον (ἅρμα καί?) ἡ γιγαντομαχία ἐν ἧι φασιν ἀριστεῦσαι τὴν Ἀθηνᾶν. — — πέπλον ἐν ὧι ἅρμα ἦν ἐντετυπωμένον καὶ ἃ κατὰ τῶν Γιγάντων ἡ θεὸς ἔπραξεν. brevior est Plut. Dem. 10 et 12: ἐνυφαίνεσθαι δὲ τῶι πέπλωι μετὰ τῶν θεῶν αὐτοὺς ἐψηφίσαντο. — ὁ μὲν γὰρ πέπλος ὥσπερ ἐψηφίσαντο, μετὰ τοῦ Διὸς καὶ τῆς Ἀθηνᾶς προσενυφηναμένων Δημήτριον καὶ Ἀντίγονον κτλ., sed etiam haec testimonia ab iisdem partibus stant. contra alias quoque Minervae aut eorum, quibus Minerva favebat heroum res gestas in peplo fuisse viri docti ex his testimoniis concluserunt: schol. Eur. Hec. 469 ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις ὑφαίνειν τὰς παρθένους τῆι Ἀθηνᾶι πέπλον ἔχοντα τὰς ἀριστείας τῆς θεοῦ πολεμικῆς οὔσης καὶ ἃ κατὰ Γιγάντων κατεπράξετο μετὰ τοῦ Διός, unde Aldus etiam in scholio Ar. Equit. 566 νικήσαντες πέπλον ἐποίησαν τῆι Ἀθηνᾶι καὶ ἐνέθεντο τοὺς ἀρίστους ἐν αὐτῶι scripserat τὰς ἀριστείας. Ciris 29 sqq.: *ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae, magna Giganteis ornantur pepla tropaeis, horrida sanguineo pinguntur proelia cocco; additur aurata deiectus cuspide Typhon — — tale deae velum sollemni tempore portant.* praeterea Boeckhius Eur. Ionis versum 196. huc retulit: ἆρ' ὃς ἐμαῖσι μυθεύεται παρὰ πήναις ἀσπιστὰς Ἰόλαος κτλ. at neque Euripidis scholiasta neque is, qui Cirim composuit, quaenam illae pugnae fuerint, dicit. immo scholium 469. egregium scholium 468. augere studet, sed praeter verba nihil addit, nam cum Iove Minervam in pugna coniunctam dimicasse notissimum erat. atque poeta Romanus satis multa verba de gigantomachia facit; sed ne uno quidem reliquas pugnas tangit. denique Herculem cum Iolao, quem Creusae ministrae se texere solere fatentur, ut huc referamus omnino non cogimur; multae enim fabulae multis in vestibus texebantur. multo minus etiam Bellerophо, qui in templo Delphico sculptus erat (v. 201 sqq.), huc pertinet. solam igitur gigantomachiam in peplo fuisse censendum est. accedit quod etiam errores graviores traduntur de pepli picturis: schol. Arist. Equit. l. c.: ἐνέθεντο τοὺς ἀρίστους ἐν αὐτῶι, Servius ad Aen. I 484: *peplum Minervae consacratum erat: in hoc depingebantur ex more apud Athenienses qui strenue se in bello gessissent.* — quod quamquam et a Dielsio in mus. rhen. XXX p. 136 et a Studnicza Altgriech. Tracht p. 137, 17 refutatum est, tamen iterum atque iterum profertur (ut nuper a Mommsenio p. 115). qui scholii error, quem iam Aldus corrigere voluit

eadem autem pugna hecatompedi veteris fastigium[72]), eadem Parthenonis metoparum frons orientalis[73]), eadem eius, quem Minerva Parthenus tenebat, clipei pars interior ornata erat[74]) neque ullo melius quam eo, quod Athenienses semper Minervae facinus principale esse putabant, peplus decorari poterat. sed posterioribus temporibus primum Demetrius et Antigonus tamquam *θεοὶ σωτῆρες* semel intexti sunt; postea vero etiam alios, velut imperatores Romanos, certis occasionibus hoc modo honoratos esse quin coniciam facere non possum: nempe illi non tamquam homines, sed tamquam dei intexebantur. —

iam pepli lanei[75]) forma accuratius definienda est. a compositione autem ordiri iuvat. cuius testimonium antiquissimum vasculi cuiusdam saeculo sexto exeunte Athenis picti testa est[76]). nam quamquam figulus palladium Troianum pinxit[77]), tamen certo suae Poliadis statuam ante oculos habebat. ergo peplum illa aetate compluribus limitibus latis, qui picturis impleti et ornamentorum limitibus separati erant inter se, decoratum esse censendum est. qui limites utrum totam vestem expleverint necne, e testa mutilata dici nequit, sed ex aliarum vestium similitudine concludi potest[78]). quibus autem formis pictores gigantomachiam exprimebant, eas etiam in arte textrina usitatas fuisse veri simillimum est. plura e vasculo parvo colligere non ausim[79]), sed ex Euripide saeculo quinto Minervam e curru pugnantem inductam esse apparet[80]). deinde

---

quomodo ortus sit Studniczka Kleinium secutus declarare conatur (cf. praeterea schol. Aristid. XIII t. I p. 197, 8 Dind. *ἡ γιγαντομαχία ἐν ἧι φασιν ἀριστεῦσαι τὴν Ἀθηνᾶν*). ex huiusmodi autem scholio Graeco Servii verba videntur fluxisse.

72) Studniczka Ath. Mitteil. XI p. 185 sqq., Schrader Ath. Mitteil. XXII, p. 59 sqq.

73) Michaelis Der Parthenon p. 142 sqq., tab. 5.

74) Plin. nat. hist. XXXVI 18.

75) Arist. Av. 827 *τῶι ξανοῦμεν τὸν πέπλον*; schol. Equit. 566 *πέπλον δὲ καλοῦσι τὸ ἄρμενον διὰ τὸ ἱρεοῦν* (ita Suidas; codd. *ἀραιόν, ἀραιοῦν*) *αὐτὸ εἶναι*, cf. Studniczka l. c. p. 136 sq. CIA IV, 2 477 v. 8 = 477 d v. 12. *τῶν παρθένων τῶν ἠργασμένων τῆι Ἀθηνᾶι τὰ ἔρια τὰ εἰς τὸν πέπλον* (saec. primi a. Chr. n.).

76) *Ἐφ. ἀρχ.* 1885 tab. 5, 13.

76) Cassandram pictam esse editor recte perspexit, sed cetera perperam interpretatus est (p. 123). sedet enim Cassandra *παλαιὸν ἄγκαθεν λαβοῦσα βρέτας*.

78) velut in Clitiae et Ergotimi cratere (Mon. dell. Inst. IV tab. LIV—V = Wiener Vorlegeblaetter 1888 tab. II—III) Iuno, una e Parcis, una ex Horis, Theseus talibus vestibus insignes sunt, in Sophili dino (Wiener Vorl. 1889 tab. II 3 d = Ath. Mitteil. XIV tab. 1) Ceres et Chariclo, in Hieronis scypho (Mon. dell Inst. IX tab. XLIII 1 = Rayet-Collignon tab 9) Ceres; cf. etiam adulescentem Wien. Vorl. IV tab. VI.

79) v. Studniczka l. c. not. 18; idem e vetere vasculo Atheniensi (not. 76) concludi posset. sed timeo, ne pictores parum accurati fuerint.

80) Hec. 466 sqq., cf. Ion. 1528 sq. (unde etiam Euripidem, quae Minerva Victoria fuerit, nescivisse dicere potuisset exegeta, qui est in dialogo de Wilamowitz Kydathen

Platonis testimonium grave est[81]): *ὁ πέπλος μεστὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων*; unde etiam saeculo quarto totam vestem picturis expletam esse elucet. atque etiam limites veteres servatos esse censebimus: nam primum lex sacra hanc formam praescripsisse, deinde neque ars textrina picturam liberiorem ita secuta esse, ut nostra aetate factum est, neque unius picturae magnae forma vesti convenisse putanda est. denique nec vasa Panathenaica[82]) neque statua quae Dresdae asservatur[83]) ad pepli formam cognoscendam quicquam afferunt; nam vasa praeter unum[84]) pepli picturas omnino non referunt neque sculptor totum peplum prostypis implere potuit: unde picturas in eo loco, qui sculpendo maxime aptus erat, significavit magis quam accurate expressit[85]).

ad postremum pauca de pepli coloribus addenda sunt. atque saeculo quinto crocum regnasse ex Euripide videmus[86]). cui Strattis hyancinthum colorem addit[87]): picturas igitur hyacinthinas in veste crocea fuisse cognoscimus[88]). sed ne illo quidem tempore praeter hos colores principales nullum in peplo fuisse censendum est; nam et albus et ruber certo accedebant[89]) atque ne viridem quidem aut caesium temporibus antiquis[90]), ne aurum quidem posterioribus defuisse putem[91]). sed haec omnia testimoniis accuratis deficientibus parum certa sunt.

quem peplum faciendum athlothetae curabant[92]), probabant senatores

---

p. 185 sq. not. 4) ante Iovis currum Minerva pedestris pugnat in Brygi patera Cat. Berl. 2283, Gerhard Trinkschalen tab. X—XI.

[81]) Euthyphro VI p. 6 c. idem schol. Arist. Av. 826 significare videtur: *πέπλος παμποίκιλος*.

[82]) saeculi sexti amphorae Mon. dell. Instit. I tab. XXI, mus. Gregor. II tab. XXXV Gerhard Etr. u. Kamp. Vb. tab. A et B, Cat. Berl. 1701, 1831—1833, Rayet-Collignon fig. 61 et 62. quarti saeculi Mon. VI tab. XI; X tab. XLVII—VIII d.

[83]) Friederichs-Wolters 444, Clarac III tab. 460 (855).

[84]) Mon. X tab. XLVIII c, cf. not. 80.

[85]) eo, quod tales vestes extiterunt (*ἐφ. ἀρχ.* 1883 tab. 3, Antike Denkmaeler I tab. 22, Jahrb. d. arch. Inst. VIII tab. I), statuae fides maior non adrogatur.

[86]) Hec. 466 sqq.

[87]) schol. Hec. 468.

[88]) cf. Studniczka l. c. p. 138.

[89]) his vel saeculo septimo figuli ad figuras articulandas utebantur. praeterea pictores aut uno aut pluribus, numquam duobus coloribus complementaribus quos vocamus illo tempore usos esse e lecythis apparet. velut Iovis fulmen (Eur. l. c.) rubrum fuisse verisimile est. idem fortasse e Ciris cocco (v. 31. probabili coniectura restituto) colligi potest, si modo carmen Romanum tanta fide dignum est.

[90]) cf. virginum statuas in arce erutas et praeclarum caput virile, quod a barba caerulea nomen duxit. cuius pupillae (quas irides nos quidem appellamus) virides sunt.

[91]) quod per se veri simile fortasse in Ciris versu 32. niti potest: *aurata deiectus cuspide Typhon.*

[92]) Arist. *Ἀθ. πολ.* LX, 1.

ante Aristotelis tempora; sed postea, cum illi iudices haud incorrupti esse viderentur, etiam hoc *ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων* ipse fecit[93]).

β. de hostiis.

ut peplus quinto quoque anno, ita quotannis hostiae in pompa ducebantur. duo autem sive tria sacrificia diversa novimus. e quibus illud antiquissimum est, quo simul boves et oves immolabantur. quod is, qui saeculo sexto versus *B* 555 sqq. composuit, Menesthei temporibus adscribit et ab Erichthonio institutum esse Philochorus tradit[94]), cum eis, qui Minervae bovem sacrificare vellent, antea Terrae sive Pandroso[95]) ovem immolandam esse dicat. cum igitur Minervae superorum hostiam offerent Terrae haud obliti sunt. ergo hoc sacrificium duplex antiquissimum esse[96]), recentiorem boum hecatomben[97]) apparet. qua de causa colonis, ut boves cum ovibus magnis Panathenaeis mitterent, imperatum est[98]).

quod etiam in Parthenonis zophoro septentrionali cognoscimus: nam quatuor boves, deinde oves quatuor sequentibus scaphephoris hydriaphoris musicis (tibicinibus et citharistis) summa gravitate ducuntur[99]). quatuor

[93]) Arist. l. c. XLIX 3. Blassii neque coniecturam neque explicationem probo; quid enim athlothetis relictum esset, si senatus *τὰ παραδείγματα τὰ εἰς τὸν πέπλον* iudicasset? cf. de Wilamowitz Ar. u. Ath. I p. 213.

[94]) in libro altero, ubi de sollemnibus et de sacrificiis ab Erichthonio institutis egit. quem locum Harpocratio exscripsit s. v. *ἐπίβοιον* et paulo accuratius is, quem schol. Ar. Thesm. 307 exscripsit. Suidas Harpocationem exscripsit s. v. *ἐπίβοιον*, scholium s. v. *κουροτρόφος γῆ*.

[95]) ambo numina arte coniuncta inter se apud Philochorum fuisse veri simile est, cf. CIA II 481 v. 58 sq. — — *τὰ ἐξιτήρια ἐν ἀκροπόλει τῆι τε Ἀθηνᾶι τῆι πολιάδι καὶ τῆι κουρ[οτρό]φωι καὶ τῆι Πανδρόσ[ωι*. unde id quoque veri simile est Philochorum *τῆι Πανδρόσωι*, non *τῆι Πανδώραι* (Suid. et Harp. cod. Angel.) scripsisse. idem Staphylus Naucratita in historiae Atheniensis libro primo ex Atthide retulit (Harp. l. c.); cf. scolium, quod est apud Athen. XV 694 d (Bergk III scol. 6).

[96]) cf. titulum Tetrapolitanum, de Prott Fasti sacri 26 B, p. 49, v. 34 sq.

[97]) v. not. 102. duo sacrificia etiam minoribus Panathenaeis, quibus coloni non intererant, facta in titulo II 741 A fr. a v. 34—37 separantur. idem fortasse in titulo 163 v. 10 supplendum est: (*τὴν θυσίαν*) *τὴν ἐν τῶι ἀρ[χαίωι νεῶι θυο]μένην* Ussing, v. Koehleri adnotationem.

[98]) CIA I 31 v. 11—12; 37 v. 44—46, schol. Ar. Nub. 386. e titulo 37. omnes imperii Attici civitates boves cum ovibus misisse videmus: *ὁπόσ[ησι πό]λεσι φόρος [ἐτάχθη*. unde mirum non est, quod nisi magnis Panathenaeis hostiae non mittebantur. cf. de Wilamowitz Kydathen p. 44, Herm. XXII p. 220.

[99]) Michaelis tab. 12, 1—27. quatuor oves fuisse e pedum numero certum est. Atheniensium autem ipsorum, non colonorum hostias hic sculptas esse vel scaphephori et hydriaphori demonstrant. praeterea artifex neque Atheniensium hostias sanctiores, quae more patrio in pompa ducebantur, omittere neque, cum tam paucas hostias a colonis missas maiori hecatombae Atheniensi opponeret, imperii gloriam male pronuntiare debuit.

autem boves artifex tanta diligentia componendo distinxit, ut semel accuratus esse videatur[100]); nam facile aut ternas aut quinas hostias sculpere potuisset; parvum autem numerum fuisse inde elucet, quod praeter has hostias hecatombe Minervae (sive Atheniensibus) offerebatur. quare eum, qui et ipsi et civibus notissimus erat, numerum sacrum artificem secutum esse puto. qui nusquam traditur; sed quatuor tribus veteres erant[101]). ergo Atheniensium ipsorum hostias, quae more patrio in prima pompa ducebantur, in zophoro agnosco. quas autem coloni, id est omnes imperii Attici civitates, mittebant boves cum ovibus, eas artifex, qui etiam hecatomben decem aut undecim bobus sculptis exprimere debebat, addere non potuit.

tum Atheniensium magna hecatombe in pompa ducebatur[102]), denique posterioribus temporibus ephebi Minervae Victoriae bovem propriam duxisse videntur[103]). praeterea antiquitus puer iresionam in pompa portabat[104]).

---

[100]) vide quam aliter hecatombae boves cum ducibus expressae sint (Michaelis tab. 11, 106—131). praeterea sculptor, ut scaphephoros accurate exprimeret, etiam artis leges laesit, quas omnibus aliis locis servavit, cf. not. 137.

[101]) sic fortasse boum numerus intellegendus est. sed Clisthenis temporibus Athenienses hoc sacrificium ab initio tributim factum esse non iam scivisse videntur.

[102]) CIA II 741 A fr. a v. 36; 163 v. 16 sqq. cum Koehleri adnotatione; cf. Philostr. vit. Apollon. Tyan. IV 22; in zophoro Michaelis tab. 11, 106—131).

[103]) huc titulum CIA II 471 v. 14 referendum esse conicio: *συντελουμένης δὲ καὶ τῆς θυσίας τῆι Ἀθηνᾶι τῆι Νίκηι συνεπόμπευσαν (οἱ ἔφηβοι) καλῶς καὶ εὐσχημόνως βοῦν συμπέμψαντες τῆι θεῶι.* verbum compositum *συμπέμπειν* facile intellegitur, quia epheborum ordo maioris pompae pars erat. cum autem *συντελουμένης τῆς θυσίας* dicatur, sacrificium ipsum maioris sacrificii partem esse necessarium est. quod nisi de Panathenaeis non audimus pulcreque cum iis, quae antea enumerantur, sollemnibus magnis Plynteriis et Dionysiis Panathenaea conveniunt. quocum sacrificio minore, quod primum Lycurgi temporibus invenimus (CIA II 163, sed certo simul cum cultu ipso in *πύργωι* institutum est), ephebi fortasse ita artius coniuncti erant, ut eam bovem, quae ex hecatomba Minervae Victoriae eligebatur, deducerent et immolarent; sed id quoque fieri potuit, ut propriam hostiam in pompa ducerent. cur autem ephebi ipsi Minervae Victoriae sacra fecerint ultro apparet.

[104]) schol. Clem. Alex. Protr. p. 12, 6 Dind. *ἐρίωι· τὴν λεγομένην εἰρεσιώνην φησίν, ἣν οὕτως περιειλοῦντες ἐρίοις καὶ ταινίαις ὑφασμάτων λινέων — ἣν δὲ κλάδος ἀπὸ τῆς Μορίας ἐλαίας — καὶ ἀκροδρύοις παντοίοις περιαρτῶντες ἀνῆγον εἰς ἀκρόπολιν τῆι Πολιάδι Ἀθηναῖοι Παναθήναια οὕτως ἐπευφημοῦντες· εἰρεσιώνη σῦκα φέρει καὶ μῆλα καὶ ἑξῆς.* schol. Stat. Theb. II 737: *et ab arbore casta ‖ oliva sive lauro. pro inventore id quod inventum est. nam casta non olea sed Minerva. aliter: castam arborem dixit quae post quinquennium Athenis Minervae offerebatur † tam pestilentiae civitatem, quam verbenam nominant, in qua omnium frugum pomorumque primitias obligabant, ut Cratinus ait. hanc igitur castam arborem dicit, in qua purpureis nexibus omnia supra dicta pendebant, quae tamen interiectis duobus pedibus candida fila discriminabant. — tam — ait* om. P, locum corruptum Tiliobrogius sic

γ. de hominibus.

ad eos, qui, cum peplum et hostias deducerent, Minervam adibant, aggrediamur. quod autem semper agminis summa erat, id saeculo sexto Homerus, quinto zophorus et Thucydides[105]), quarto Xenophon[106]) et Demosthenes[107]) testantur: *κοσμῆσαι ἵππους τε καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας.* nam curribus equis armis cives, cum pompam ducerent, splendebant. e quibus apobatarum currus, qualem primus Erichthonius in Minervae honorem produxisse in Atthide tradebatur, antiquissimi erant[108]). quali in curru peplum in vexillo suspensum initio ductum esse veri simile est. cuius generis omnes currus sunt, quos in zophoro sculptos invenimus. sed postea omnia ea curruum genera, quae in certaminibus occurrunt, etiam in pompa videntur fuisse: *ἅρματα* dico *πωλικὰ* et *τέλεια*, *συνω-*

---

sanare voluit: *ob liberatam pestilentia civitatem.* schol. XII 492: *supplicis arbor olivae || per quam pax petitur et in altero diximus hanc ab Atheniensibus εἰρεσιώνην dici, a reliquis autem Graecis ἱκετηρίαν. supplicis autem olivae non quod ipsa sit supplex, sed quod omnes qui rogant hac suppliciter utuntur.* scholium Graecum e Procli fonte haustum esse ea de causa putandum est, quod simillima glossa maior, quae est de daphnephoria, e chrestomathia sumpta antecedit. eandem glossam paulo uberius exscriptam Cratino grammatico teste primum scholium Latinum praebet. cum autem ex altero illud Cratini librum de Attica dialectu fuisse appareat (ab Atheniensibus — a reliquis autem Graecis = *Ἀττικοὶ μὲν — Ἕλληνες δὲ* —), Cratem, non Cratinum legendum esse Usener coniecit (in Iahnkii adnotatione ad scholiorum editionem). sed Crates Pergamenius nondum erat atticista qualem ex alterius scholii verbis cognoscimus atque Cratinum grammaticum et exstitisse et eisdem rebus operam dedisse ex Etymologico magno (*ἀρίζηλος*) elucet. qui cum Basilidis Alexandrini *λέξεις Ὁμηρικάς* epitomaverit, non ante alterum p. Chr. n. saeculum vixisse videtur; quocum illud *Ἀττικοὶ — Ἕλληνες* bene convenit. atque fortasse tamquam Procli aequalis eodem fonte atque ille usus est. quem Basilidis *λέξεις Ὁμηρικάς* fuisse ex epigrammate Homerico, quod est de iresiona (15) pro Attica glossae natura conici nequit. — quotannis autem hanc iresionam oblatam esse patet; qui enim in primo scholio Latino scripsit 'post quinquennium' vocem *Παναθήναια* vertere conatus, cum magna Panathenaea homini Romano magis nota essent, erravit. idem *εἰρεσιώνην* in verbenam vertit. contra in scholio altero voces Graecae servatae sunt.

quam iresionam ab antiquissimis temporibus in arcem ductam esse infra demonstrare conabor. sed in Minervae cultu, imprimis postquam magna Panathenaea instituta sunt, simplex mos rusticus obscuratus est. tamen abolitus non est, sed cum iam ab eo tempore, quo oliva Minervae tutanda tradita est, termes ab oliva sacra in arce sumeretur (*ἦν δὲ κλάδος ἀπὸ τῆς Μορίας ἐλαίας*), artius cum Minerva est coniunctus. quo factum est, ut antiqua natura rustica magis atque magis neglecta senes, qui arma portare non iam poterant, cum termitibus procederent. (v. i. p. 19. et not. 119). causas, quibus commoveor, ut Wilamowitzium non sequar (Herm. XXXIV p. 604 sq.), parum certas esse probe scio; tamen coniecturam proponendam esse duxi.

105) Thuc. VI 58, cf. not. 115.

106) hipparchic. III 2—5, hipp. XI 1—12, cf. Pollux I 211.

107) XXI 171 et 174, IV 26.

108) marmor Parium v. 17, Eratosth. Cataster. XIII p. 98. Robert.

ρίδες πωλικαί et *τέλειοι, ἅρματα πολεμιστήρια, συνωρίδες πολεμιστήριαι*, denique *ζεύγη πομπικά*[109]). currus autem magnus equitum numerus ab hipparchis et phylarchis tributim ductus sequebatur[110]) atque equo aut curru ex adulescentibus quicumque potuit in pompa splendere studebat[111]). crocea autem veste aurigae induti erant[112]). sed multo maius quam equitum certo peditum agmen erat, qui, ut in euandria tributim corporum armorumque pulcritudine certaverant[113]), ita in pompa populi robur armati prae se ferebant[114]). sic ab iis temporibus, quibus *πᾶσα ἡ Ἑλλὰς ἐσιδηροφόρει*, usque ad Pisistratum pompa ducebatur. deinde cum tyranni cives telis et armis privassent, adulescentes per quinquaginta fere annos tamquam myrtophori inermes erant, sed libertate restituta Athenienses denuo armati procedebant[115]). tandem a saeculo

---

[109]) CIA II 965—969.

[110]) Dem. l. c., Xen. hipp. X 10. sexies seni equites eodem vestitu militari insignes in zophori meridionalis primo agmine turmis continentur, Michaelis tab. 10—11, X—XXIII.

[111]) Ar. Nub. 68, Theophr. Char. 21, Menander Agroeco apud Phot. *πέμπειν* (Meineke 4, 211; II 958), Plut. Phoc. XX.

[112]) schol. Ar. Nub. 68, cf. schol. Theocr. II 74.

[113]) CIA II 965 v. 75, Xen. Mem. III 3, 12, Aristot. *Ἀθ. πολ.* LX 3, Harp. *εὐανδρία* (ex [Andocide] in Alcibiadem et e Philochoro), cf. Athen. XIII 565f.

[114]) Thuc. VI 58 *πομπέας τοὺς ὁπλίτας*. artificem in zophoro equites currus sacrificia quam peditum ordines longos sculpere maluisse mirum non est. cf. not. 115.

[115]) hoc e versibus B 556 sqq., ex Aristotelis testimonio *Ἀθ. πολ.* XVII 4, e scolio illo *ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω* tamquam certum colligendum est. quare miror cur Mommsenius p. 114 rem ita perturbaverit, ut Athenienses tyrannorum temporibus armatos, saeculo quinto inermes, deinde denuo armatos pompam duxisse dicat. nam facillime quae obstant removentur. ac primum quidem ex ipsis Aristotelis verbis *οὐ γὰρ ἐδύναντο παραχρῆμα λαβεῖν οὐδὲν ἴχνος τῆς πράξεως, ἀλλ' ὁ λεγόμενος λόγος, ὡς ὁ Ἱππίας ἀποστήσας ἀπὸ τῶν ὅπλων τοὺς πομπεύοντας, ἐφώρασεν τοὺς τὰ ἐγχειρίδια ἔχοντας, οὐκ ἀληθής ἐστιν· οὐ γὰρ ἔπεμπόν τοτε μεθ' ὅπλων ἀλλ' ὕστερον τοῦτο κατεσκεύασεν ὁ δῆμος* vulgarem narrationem ea esse, quae Thucydides profert (VI 56—58) facile videmus. quae inde orta est quod ii, qui ipsi pompam armati ducebant, cur proavi Hippiam non expulerint, parum intellegebant. ac ne novum quidem dolum finxerunt, sed eum, quo Pisistratus cives armis privasse dicebatur, fideliter repetierunt (ex Atthide apud Aristotelem l. c. XV 4—5 et apud Polyaenum I 21, 2, cf. de Wilamowitz Arist. u. Ath. I p. 269 sqq.). accedit scolium testimonium gravissimum quod Mommsenius perperam interpretatus est: nam Harmodii et Aristogitonis *ἐγχειρίδια* in myrti fronde latuisse apparet; myrtophori igitur inermes erant item atque thallophori senes. ergo nihil aliud, nisi Thucydidis temporibus Athenienses armatos processisse, ex illius verbis colligendum est. at in zophoro tela et arma desiderantur; nimirum cum peditibus ipsis etiam tela et arma desunt. praeterea arma modo hic modo illic apud equites occurrunt (velut sex thoracibus armati sunt, Michaelis tab. 10, XII et XIII) et satis multa tela fortasse in equitum manibus quae saepe paulum patent picta erant (cf. Xen. hipparch. III 3 *οὐδὲ δόρατα μὴν παραλείπω ὡς ἥκιστα ἂν ἀλλήλοις ἐπαλλάττοιτο. δεῖ γὰρ*

quarto milites a strategis et taxiarchis ducti gloriam in bello negatam summo studio in pompis ducendis quaerebant[116]). posterioribus autem temporibus cosmetam ephebos separatim in pompa duxisse censendum est[117]). praeterea adulescentes suam quisque bovem deduxisse videntur[118]).

qua cum iuventute maximam partem armata thallophori senes inermes, qui termitibus insignes erant, simul procedebant[119]). quem morem Erichthonius instituisse in Atthide dicebatur[120]). etiam hos autem euandria electos esse veri simile est[121]). ante quos fortasse puer cum iresiona procedebat[122]).

denique diversos et sacros et profanos magistratus pompae interfuisse certum est; sed qui ex eis qui enumerantur[123]) in pompa processerint, qui contra in arce pompam receperint, accurate definiri nequit[124]). sed maiorem partem in pompa fuisse veri simile est. hi autem sunt: senatores[125]) archontes praefecti aerario hieropoei athlothetae (a saeculo quarto

μεταξὺ τοῖν ὤτοιν τοῦ ἵππου ἕκαστον σχεῖν εἰ μέλλοι φοβερά τε καὶ εὐκρινῆ ἔσεσθαι καὶ ἅμα πολλὰ φανεῖσθαι); sed iterum atque iterum de zophori et artis genere et picturis perditis et foraminibus terebratis agere taedet. certo enim artifex his de rebus examinatus respondisset *ἀλλ' ὀλίγον γέ μοι μέλει.*

116) Demosth. IV 26.

117) CIA II 465 v. 3, cf. p. 20.

118) *πομπεῖς* CIA II 163 v. 14. quales in zophoro multos videmus. Elide is, qui tamquam alter ex euandria prodierat, hostiam deducebat (Athen. XIII 565 f.). quod munus ea de causa satis grave erat, quia boves boni ominis causa tranquillo pede procedere debebant. cf. Michaelis tab. 11; 109 et 110; tab. 12; 5 et 6.

119) Ar. Vesp. 540 sq. cum scholio praeclaro 544., quod Xenophontem (convivium IV 17) et Philochorum citat contra Dicaearchum, qui etiam anus in pompa termites portasse dixerat. accedunt Cratinus et Pherecrates comici (Meineke 2, 33; I 12 = 2, 276; I 97) ex hoc scholio Hesychii glossa *θαλλοφόρος* (= Et. M.) ita fluxit, ut et initium et testimonia omitterentur. deinde id quod Aristophanes profert proverbium cum versu ρ 224 prave miscetur apud Eustathium p. 1818, v. 21. contra rectius est, quod Eustathius exhibet p. 1557, v. 25, fortasse ex Aelii Dionysii lexico Attico quod propter vocis *θαλλοῖ* usum Atheniensem citat (cf. p. 1818, v. 15). eadem glossa nimis abbreviata legitur apud Photium *θαλλοφόροι*. — thallophoros imprimis artifex, cum viros paene omnes barbatos sculperet, expressit, v. Michaelis tab. 11; 84—102; tab. 12; 28—44.

120) Philoch. in libro altero (in scholio citato, cf. not. 94).

121) Xen. l. c.

122) v. s. p. 16. cum nota 104, i. p. 31. sq.

123) CIA II 163 v. 11 sqq.

124) sic eos, qui pompae praeerant, bipartitos fuisse ex Aristotele (*Ἀθ. πολ.* XVIII 3) et e Thucydide (VI 57) videmus. etiam in zophoro nonnulli viri partim barbati, qui pompam in arce recipiunt, sculpti sunt (Michaelis tab. 14; 18—23, 43—49, 52). sed num inter eos novem archontes aut decem praefecti aerario cognoscendi sint confici nequit; atque etiam hieropoeos esse dicas.

125) quod in titulo legimus]εσι in *πρυτάνεσι* supplevit Koehler; tamen totum senatum in pompa processisse et per se verisimile est et eo confirmatur, quod omnes in theatro sua habebant sedilia.

nomine agonothetae[126]. accedunt strategi et taxiarchi, hipparchi et phylarchi atque certe tribuum curatores: quos demarchi in ordinando agmine magno adiuvabant[127]. praeterea Eunidae praecones et citharistae suo munere fungebantur[128]. denique magnis Panathenaeis archi-theori sociarum civitatum legatos in pompa ducebant[129] et eos, qui in certaminibus vicerant, processisse verisimile est. omnes autem fronde, fortasse myrto coronati erant[130].

ad postremum de feminis et de metoecis, qui pompae inserviebant, agendum est. e quibus canephori primum locum obtinent. bonam autem virginum et originem et famam esse necessarium erat[131], cum sacra in capite portarent; nam hordeum sacrum vittae culter erant in canistro[132]. sed cum ne in maximo quidem sacrificio talium canistrorum numerus magnus desideraretur, multas quas novimus canephoros alias res portasse suspicandum est[133]. quas illa πομπεῖα χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ, quae saepe

[126]) athlothetae, qui in titulo desiderantur, apud Aristotelem sunt Ἀθ. πολ. LX 1, de agonothetis v. CIA IV 2 421 cum Koehleri adnotatione.

[127]) schol. Ar. Nub. 37. pompae praefecti pro componendi legibus distributi in zophoro saepe occurrunt. quales praeter unum in equitum ordinibus nullum invenimus. sed apud omnes fere currus id, quod supra equorum tergis vacat, spatium praefectus explet. ille autem, qui inter equites est (Michaelis tab. 13, 89), eos refellit, qui equitum ordinem hoc loco interrumpi ea de causa dicunt, quod unus equus ita sculptus sit, ut a sequente nusquam tangatur: immo praefectus equites coniungit, nam viduae sunt eae, quae inter zophori meridionalis turmas militares intercedunt lacunae. (Michaelis tab. 10 et 11; 26—58).

[128]) Pollux VIII 113, cf. Harp. s. v., Hes., Phot.; Toepffer Att. Gen. p. 181 et et 183. citharistas qui sculpti sunt in Parthenonis zophoro Eunidas esse censeas.

[129]) CIG 2270 v. 5 sqq., cf. not. 98.

[130]) coronas quae omnibus pompis et sacrificiis conveniunt etiam in zophoro nonnunquam invenimus (Michaelis tab 9; 2; tab. 11; 121; tab. 12; 38; tab. 13, 97 (equites πομπεῖς thallophori). de adulescente tab. 13; 131 v. not. 137. quas coronas oleaginas fuisse ea de causa verisimile non est, quod ei, qui in certaminibus vicerant, oliva coronabantur, schol. Plat. Parmen. p. 127a = Phot. Suid. Παναθήναια) et quod thallophori termites tenebant.

[131]) Philoch. in libro altero apud Harp. κανηφόροι, unde Phot. = Suid. praeterea ex eodem Philochori loco fluxerunt quae sunt apud Photium p. 129, 18, in lexico Segueriano quinto Bekker p. 270, 32, in Et. M. p. 489, 23 κανηφόρος. quem morem Erichthonio rege institutum esse Philochorus dixerat. cf. fabulam, quae est de Orithyia Minervae canephoro rapta apud Acusilaum in scholio ξ 533. de virginum dignitate Thuc. VI 56.

[132]) schol. Ar. Pac. 948 ubi Plato comicus cultrum testatur (Meineke 2, 647; I 371), cf. Et. M. κανοῦν. haec sunt pura illa sacra, quae vel Ovidius exhibet Met. II 711. qualia canistra in zophoro hieropoei 18, 49, 52 (Michaelis t. 14) a puellis receperunt (Robert Goett. gel. Nachr. 161 p. 533 sq.).

[133]) multas canephoros fuisse apparet e Stratoclis decreto, quod est in vita decem oratorum p. 852 — Westermann biogr. min. p. 279, 184 (κόσμον χρυσοῦν εἰς [illegible] κανηφόρους), e Pausania I 29, 16 (παρθένοις κόσμον ἑκατόν), e zophoro [illegible] tab. 14; 2—17, 50, 51, 53—63).

occurrunt, fuisse e scriptoribus[134]) e titulis[135]) e zophoro[136]) elucet. e quibus ea, quae commode in canistris poni poterant, velut hirneae et paterae, in capite portabantur[137]), alia, velut thymiateria, quae purgandi causa portabant, manibus[138]).

deinde puellae ipsae aureo et vestis et corporis ornatu, qui e deae

---

[134]) Paus. l. c. *κατεσκεύασε δὲ πομπεῖα τῆι θεῶι καὶ Νίκας χρυσᾶς καὶ παρθένοις κόσμον ἑκατόν*, Stratoclis decretum l. c. *παρασκευάσας τῆι θεῶι κόσμον Νίκας τε ὁλοχρύσους πομπεῖα τε χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ καὶ κόσμον χρυσοῦν εἰς ἑκατὸν κανηφόρους*. eadem pompea apud Thucydidem II 13 sunt: *ἱερὰ σκεύη εἰς τὰς πομπάς*, cf. Demosth. XXII 78 et Philoch. apud Harp. *πομπείας καὶ πομπεύειν*, praeterea (Andoc.) IV 29, Plut. Alcib. XIII.

[135]) CIA I 32 B v. 2, II 739 v. 8—9.

[136]) v. puellas supra citatas (not. 133) paene omnes. antiquitus res pretiosae in pompis portabantur, ut deorum divitias prae se ferrent. qui mos temporibus posterioribus luxum illum immensum effecit, quo Ptolemaei et Antiochi Epiphanis pompae insignes fuerunt (Athen. V p. 196 sqq., 194 c sqq.). reiciendum autem est, si quis ex huius aetatis consuetudine multas deorum statuas, quin etiam totas fabulas figuris expressas in pompis ducendi Victorias illas aureas, quae semper cum pompeis et cum ornatu canephorico coniunguntur, Athenis in pompa ductas esse coniciat: nam Athenienses magnam auri copiam hoc modo sacro pulcro tuto neque tamen quaestuoso asservabant (cf. Foucart BCH XII p. 283 sq.). accedit quod Victoriae graviores erant, quam quae in pompa ducerentur. posteri enim pupulis aut statuis ligneis auratis usi sunt. antiquiorum vero signa sacra, quae in pompis ducebantur, semper lignea erant.

[137]) nisi hoc modo canistra per viam longam portari non poterant. canistris autem supellectilem auream portatam esse e Cereris pompae similitudine concludendum est: Callim. hymn. VI 126 sq. *ὡς δ' αἱ λικνοφόροι χρυσῶ πλέα λίκνα φέροντι, ὣς ἁμὲς τὸν χρυσὸν ἀφειδέα πασαίμεσθα.* sic multo plures res portari poterant; cf. praeterea Ovid. l. c. (*puellae vertice supposito — portabant sacra canistris*) et Cic. in Verr. IV 3, 5 (*manibus sublatis sacra quaedam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant*) in zophoro autem artifex canephoros multis de causis fideliter exprimere non potuit. nam primum quidem vultus lacerto esset opertus. minora autem pericula sculptores evitasse ex. gr. ex adulescente Michaelis tab. 13, 131 (quem ille perperam interpretatus est) videmus; quem laevae manus digitum eo, quo pompa proficiscitur, tendere certum est: tamen, quod nemo umquam faciet, manum supra frontem tollit, ne pectus aut vultus brachio concidatur, sed ut totius corporis lineae undique bene concludantur. idem consilium cognoscimus, quo athletae illi, qui Dresdae et Monachiae asservantur (Friederichs-Wolters 462 et 463), atque puer, qui in Euthymidis cratere pictus est (Berl. Cat. 2180), cum oleum in manus instillent, bracchium tollunt. contra quam legem sculptor nisi semel, atque id cogitate, ut scaphephoros accurate exprimeret, non peccavit (cf. not. 100). deinde ne id quidem opponi potest una manu, aversa videlicet, canistrum teneri potuisse; nam neque virginum ordo densus neque zophori altitudo canistris spatium praebebat. quare pateris et hirneis manibus portatis canephoros significare magis quam exprimere artifex coactus est.

[138]) etiam thymiateria pompea fuisse ex oratione in Alcibiadem ([Andoc.] IV 29) et e lexico Segueriano quinto (Bekker p. 290) videmus. de suffiendi vi purgatoria cf. Poll. I 28 et ecclesiae christianae usum. in zophoro puella Michaelis tab. 14, 57. thymiaterium portat.

thesauro sumebatur, insignes erant[139]. praeterea collum ficis lino insertis cingebant[140] et polline fucabantur[141]. quibuscum diphrophori, quae sellas in capite portabant, arte coniunctae erant; nam etiam sellae sacrae tamquam pompea in pompa ducebantur. sunt autem hae quoque puellae in zophoro sculptae, sed certis de causis non ita, ut canephoros sequantur, sed una cum peplo in templo interiore[142].

denique primo a. Chr. n. saeculo ergastinas virgines nobiles multas (plus centum)[143], quae in peplo texendo occupatae erant[144], magnis Panathenaeis in pompa processisse scimus[145].

praeterea metoeci et viri et feminae ita distributi, ut hae canephoros illi hostias sequerentur, in pompa erant. e quibus scaphephori, qui purpuris induti[146] favos et liba alveis aeneis et argenteis portabant, primum obtinebant locum[147]; quo in munere poetae comici imprimis haere-

---

139) v. Stratoclis decretum l. c. Paus. l. c., CIA II 162 a b, v. 16: *ἀμ]φορῆς οἱ ἀ[ργυροῖ κα]ὶ τὰ κα[ν]ᾶ καὶ τἄλ[λα*, c, v. 8—10: *κόσμο]ν τὸν κανηφορικόν*, d, v. 6: *κόσμον στεφα[ν* -- 741 B fr. b et c: *ὑποδερίδες ἀμφιδέαι στέφανοι.* de coronarum numero, qui cum Pausaniae biographique verbis convenit, cf. Boeckh-Fraenkel Staatshaushalt II p. 129. quem corporis et vestis ornatum spectant Aristophanis versus Acharn. 257—258, cf. Lysistr. 1190 sqq. cum scholio, Et. M. *ἀρρηφορεῖν.* restat ut vocem *κόσμον* praeter ornatum canephoricum nonnumquam omnia pompea atque etiam Victorias aureas comprendere moneamus. tum *κόσμος κανηφορικός* ampliori *κόσμῳ* haec omnia complexo subiungitur: Stratocl. l. c., Ar. *Ἀθ. πολ.* XLVII 1.

140) Arist. Lysistr. 647, cf. p. 117 cum nota 15: canephoria, quae est apud Aristophanem a Brauroniis separanda est. ficorum autem vis purgatoria notissima est.

141) Ar. Eccl. 732, Hermipp. Deis in schol. Ar. Av. 1549 (Meineke 2, 389; I 142) *ὥσπερ αἱ κανηφόροι λευκοῖσιν ἀλφίτοισιν ἐντετριμμένος.* cum autem uterque poeta voce *ἐντρίβειν* utatur, crines in modum saeculi XVIII. polline adspersos esse censere non possumus (Wachsmuth Hellen. Alterth. II b p. 300); immo canephori polline tamquam fuco utebantur. cuius moris causam ignoro; puellas autem *ἐσκιατραφημένας* hoc modo solem arcuisse conicere non audeo.

142) Ar. Av. 1552 cum scholio 1551, Hes. *διφροφόροι* v. excursum.

143) Hes. s. v.: *αἱ τὸν πέπλον ὑφαίνουσαι*; CIA II 956 et 957, IV 2, 477 d, cf. Koehlerum Athen. Mitteil. VIII p. 60.

144) IV 2 477 et 477 d.

145) 477 v. 10, 477 d v. 13—14.

146) Menander Eunucho apud Zen. V 95 (Diogen. VIII 12, Phot. *σκάφας*, cf. Hes. *συστομώτερον σκάφης*) Meineke 4, 124; II 904.

147) Dinarchus in Agasiclem, Demetr. leg. lat. lib. III, Theophr. leg. lib. X (omnes apud Harp. *σκαφηφόροι*, Theophr. praeterea ap. Phot. Suid. *συστομώτερον σκάφης*), Harp. *μετοίκιον*, Poll. III 55, Aelian. var. hist. VI, Ammon. de diffic. p. 75 Valkenaer, Hes. *σκαφηφόροι*, Phot. *σκαφηφορεῖν* (cf. lex. Seguer. V Bekker p. 304 27); Suid. = Et. M., lex. Seguer. V *ἀσκοφορεῖν.* quas glossas omnes ad Theophrastum Demetrium Menandrum redire facile videmus. fortasse illud *συστομώτερον σκάφης*, quod in trimetrum iambicum bene quadrat, primum in comoedia dictum est, cf. notam sequentem. fere omnes autem '*ἐν ταῖς πομπαῖς*' dicunt, unde scaphephoros hydriaphoros sciadephoros nobilissimae pompae Panathenaicae interfuisse etiam deficientibus

bant[148]). praeterea metoeci in pompa Panathenaica etiam hydrias portasse videntur[149]). in zophoro autem et scaphephori et hydriaphori, qui boves ovesque sequuntur, sculpti sunt[150]). tum canephoros et diphrophoros metoecorum filiae, quae Minervae sacras tenebant umbellas, sequebantur[151]).

3. de pompae via.

restat ut pompae viam paulo accuratius definire conemur, antequam totam pompam breviter adumbremus[152]). ac primum quidem prope

testimoniis concluderemus (Hes. s. v.: *ἐν τοῖς Παναθηναίοις*, Menander apud Phot. *σκάφας: ἐν τῆι πομπῆι τῶν Παναθηναίων*, cf. Ammon. l. c. ubi *τῶν Ἀθηναίων*, traditum est). *ἐν ταῖς δημοτελέσι πομπαῖς* apud Phot. *συστομώτερον σκάφης* scriptum est. quas Panathenaicam et magnorum Dionysiorum pompam fuisse puto, nam etiam hac in pompa scaphephoros fuisse e glossa *ἀσκοφορεῖν* (Suid. Et. M. lex. Seguer. V) conici potest. sed pluribus pompis metoecorum liturgiam adscribere non ausim.

[148]) Harp. *μετοίκιον· 'οἱ κωμικοί'*, Zen. l. c. *μέμνηται ταύτης (τῆς παροιμίας) Μένανδρος ἐν τῶι Εὐνούχωι.* unde Menandrum illud proverbium invenisse concludi non potest (cf. Eubuli Plangonem ubi ille de metoecio verba fecerat, Dinarchum apud Harp. *σκαφηφόροι*). novae sive mediae et novae comoediae locus communis videtur fuisse.

[149]) cum cives Athenienses tamquam hydriaphoros metoecos scaphephoros secutos esse veri simile omnino non sit (cf. Dinarch. l. c. apud Harp. *σκαφηφόροι*), hac in pompa, in qua feminae metoeci umbellas portabant, viros etiam hydrias portasse e zophoro concludo (v. not. 150). contra in Dionysiorum pompa feminas hydrias portasse censendum est, quia hac in pompa umbellae non portabantur (v. not. 151). satis brevia igitur, neque tamen falsa, quia pomparum nomina non proferuntur, ea sunt, quae Harpocratio e Demetrio refert. cui opinioni ne Pollux quidem (III 55) aut Photius (*ὑδριαφόροι*) obstant. Hesychius autem nimis mutilatus est, quam quem mecum militare contendam: nam certo articulum *αἱ* omisit. sic efficitur, ut adulescentes Athenienses, qui hostias deducunt (*πομπέας*), viri metoeci, canephoros virgines Athenienses metoecorum virgines sequantur: coniuncti igitur cives atque metoeci et sacrificio faciendo et apparatui sacro portando inserviebant. primum autem locum et hic et illic cives obtinuisse aequum est. — alveos et hydrias et cuiusvis generis pompea ex inventariis sacris Michaelis congessit p. 313—314 quae omnia hoc loco denuo citare nolui.

[150]) Michaelis tab. 12; 13—15, 16—19.

[151]) Ar. Av. 1550 cum scholio 1551, cf. schol. Equit. 1348, Demetr. l. c., Aelian. l. c.; schol. Ar. Av. 1508 nihil valet, nam ille ipsas canephoros umbellas, ut longae 19. Boedromionis diei pompae aptissimas, portasse arbitratus est. huiusmodi umbella magna etiam in Scirophoriorum pompa portabatur. sed Minervae umbellae in Bacchi pompa magna certo non portabantur. qua in pompa metoeci feminae hydrias in sacrificii usum portabant. cf. quae de umbellis disputavi Sciroph. not. 16.

[152]) de Athenarum locis ac fanis mihi verba facienda esse doleo, quippe qui Berolini vivam neque adhuc terram sacram viderim. quare eam, quae sola patebat, viam ingressus sum, scilicet ut scriptorum testimonia accurate interpretatus viderem, quomodo, quae ex iis concluserim, cum eorum, qui terram ipsam perquisiverunt, opinione convenirent. cum autem fieret, ut eadem, quae iam Unger et Loeschkius invenerunt, mihi quoque concludenda essent, conclusa autem eis, quae Doerpfeldius sive eruit sive conclusit, optime illustrarentur, quaestionem brevibus comprendi neque in aliorum opinionibus denuo refellendis neque in relatis iterum referendis moratus.

Dipylum in Ceramico exteriore agmen et coactum et ordinatum esse constat[153]). ubi id, quod a saeculo quarto novimus, pompeum sacri apparatus plenum situm videtur fuisse[154]). a Dipylo igitur profecta pompa postquam per Ceramici rectum *δρόμον*[155]) ad forum ducta est, illud ita circumibat, ut ab Hermis orsa singula sacra deos heroas veneraretur et tandem ad Hermas redux facta[156]) ad eum locum perveniret, ubi postea Minervae Archegetidis porta erat[157]). haec, quamquam singula accuratius definiri non possunt, tamen satis certa sunt. ut autem, qua via pompa ab hoc loco usque ac arcem usa sit, cognoscamus, testimonia quam accuratissime perquirenda sunt. sunt autem testimonia principalia haec: schol. Arist. Equit. 566.[158]): — — *τῆς Παναθηναικῆς νεὼς — — ἧς καὶ τὴν πομπὴν ἀπὸ τοῦ Κεραμεικοῦ ποιοῦσι μέχρι τοῦ Ἐλευσινίου*; Philostr. vit. soph. II 1, 5: — — *τὴν ναῦν — — ἐκ Κεραμεικοῦ δὲ ἄρασαν χιλίαι κώπηι ἀφεῖναι ἐπὶ τὸ Ἐλευσίνιον καὶ περιβαλοῦσαν αὐτὸ παραμεῖψαι τὸ Πελασγικὸν κομιζομένην τε παρὰ τὸ Πύθιον ἐλθεῖν οἷ νῦν ὥρμισται.* Philostrati testimonio, cum eam pompam, quam anno 134. Herodes Atticus exornaverat, describat, cautius utendum est. accedit Xenoph. hipparch. III_2[159]): *τὰς μὲν οὖν πομπὰς οἴομαι ἂν καὶ τοῖς*

---

[153]) Thuc. VI 57 *καὶ ὡς ἐπῆλθεν ἡ ἑορτὴ Ἱππίας μὲν ἔξω ἐν τῶι Κεραμεικῶι καλουμένωι μετὰ τῶν δορυφόρων διεκόσμει ὡς ἕκαστα ἐχρῆν τῆς πομπῆς προιέναι· ὁ δὲ Ἁρμόδιος καὶ ὁ Ἀριστογείτων — — ὥσπερ εἶχον ὥρμησαν εἴσω τῶν πυλῶν κτλ.* unde etiam posteros hunc Ceramicum, non forum significasse censendum est (schol. Ar. Equit. 566, Plut. Dem. XII, Philostr. vit. soph. II, 1, 15; ergo ne Herodis quidem navis a porta Piraeensi in forum ducta, sed simul cum tota pompa a Dipylo profecta est, cf. Himer. not. 155).

[154]) Demosth. XXXIV 39, CIA II 834 c, Paus. I 2, 14, alii. quod aedificium in porta fuisse Piraeensi demostratum esse puto (Adler Arch. Zeit XXXII p. 161, Bernh. Schmidt, Die Thorfrage p. 23, Curtius Stadtgeschichte p. 189 et 292, alii). tamen quod omnes tamquam certum proferunt, etiam pompea aurea et argentea hoc in pompeo semper asservata esse non concedo; nam illa in arce fuisse ex inventariis sacris elucet. sed pridie pompam omnia in pompeum transportata esse veri simile est.

[155]) Himer. orat. III 12. talia oratori insanissimo illi quidem, sed Atheniensi credere possumus. ad Dipylum autem illius *ἄρχεται μὲν εὐθὺς ἐκ πυλῶν* referendum est.

[156]) Xen. hipparch. III 2, cf. Hegesandrum apud Athen. p. 167 f, Menandrum Agroeco l. c. (*τὰ μικρὰ Παναθήναι' ἐπειδὴ δι' ἀγορᾶς πέμποντά σε — — Μοσχίων μήτηρ ἑώρα τῆς κόρης ἐφ' ἅρματος*). praeterea Demosth. XXI 171.

[157]) Minervae Archegetidis et cultum et statuam veterem esse scimus: Arist. Lysistr. 642, sigillum figlinum Kekule Bulletino 1868 p. 50 sq. (schol. Ar. Av. 515), cf. de Wilamowitz Antigonos p. 345. portam autem ea de causa, quod pompa semper forum hoc loco exibat, aedificatam esse apparet, cf. Curtius Zur Gesch. d. Wegebaus b. d. Griechen, Abhdl. d. Berl. Akad. 1854 p. 283 sqq.

[158]) cf. not. 35.

[159]) quod Xenophon equites celeriter ascendere iubet fortasse offendit: nam pompa diripiatur necessarium esset; quare Wachsmuthius I 305 Xenophontem difficilia optare, non quae facta sint enarrare putat nisus in paragrapho 5. *ὅτι μὲν ταῦτα*

θεοῖς κεχαρισμενωτάτας καὶ τοῖς θεαταῖς εἶναι εἰ ὅσων ἱερὰ καὶ ἀγάλματα ἐν τῆι ἀγορᾶι ἐστι, ταῦτα ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν Ἑρμῶν κύκλωι [*περὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὰ ἱερὰ* del. de Wilamowitz] *περιελαύνοιεν τιμῶντες τοὺς θεοῦς. — — ἐπειδὰν δὲ πάλιν πρὸς τοῖς Ἑρμαῖς γένωνται περιεληλακότες ἐντεῦθεν καλόν μοι δοκεῖ εἶναι κατὰ φυλὰς εἰς τάχος ἀνιέναι τοὺς ἵππους μέχρι τοῦ Ἐλευσινίου.*

atque satis dilucide et accurate scholiasta navem a Ceramico profectam usque ad Eleusinium duci dicit. item Xenophon, cum equites usque ad Eleusinium celeriter ascendere iubeat, hoc loco viae sacrae quasi caesuram esse indicat. quam eandem viam Philostratus primum significat, tum pompa neglecta Herodis navem usque ad mansionem sequitur[160]). praeterea duobus nominibus parum certis (Pelasgici et Pythii) utitur[161]). a scholio igitur et a Xenophonte ordiendum est. at Eleusinium incertissimum est, scilicet a viris doctis circum totam arcem ductum[162]). sed haec ipsa testimonia ad Eleusinii situm statuendum gravissima sunt: nam cum navis usque ad Eleusinium duci dicatur, illam hoc loco relictam esse certum est; navem autem quam proxime ad Propylaea advectam esse non est quod demonstretur; immo ei qui Eleusinium in alias regiones, velut in orientem, removet, qui factum sit, ut navis illic relinqueretur, declarandum est. sub arce igitur intra meridiem et occidentem Eleusinium situm fuisse ex his testimoniis elucet, etiam si scholium cum Philostrato

οὐκ εἰθισμένοι ποιεῖν οἱ ἱππεῖς εἰσιν οἶδα. quae non totam equitum pompam tangunt, sed eas artes elegantiores, quae rei equestris peritissimo cordi sunt. inter quas etiam ascensus ille celer est, quo equorum virtus splenderet. sed neque hanc neque alias eas, quas Xenophon desiderat artes exercere solebant. tamen quin ea quam Xenophon describit via usi sint, non est quod dubitemus.

160) sic Philostrati verba intellegenda sunt. nam navis sola, non tota pompa Pelasgicum et Pythium tangit. Philostrato igitur Herodis navis splendida quam pulcherrimis nominibus circumdanda magis cordi erat quam pompa.

161) quamquam et Pelasgicum (imprimis apud Philostratum, cf. de Wilamowitz Kydathen p. 106, 16) et Pythium parum certum est, tamen etiam haec cum Eleusinio sub arce intra meridiem et occidentem sito (v. i.) convenire posse apparet. sub Panis enim antro magnas Pelasgici reliquias fuisse e Luciano videmus (bis accus. IX) quo ipso loco Pythium fuisse veri simillimum est (Doerpfeld Ath. Mitt. XX p. 198). navis Panathenaicae autem mansionem ab Areopago procul afuisse e Pausania elucet (I 29, 1). quem aut ipsam Herodis navem aut aliam, sed eodem loco asservatam vidisse certum est. facillime igitur Philostrati narrationem intellegimus; nam navis postquam in pompa Eleusinium circumvecta est, cum illa ad Propylaea ascenderet, in medio clivo remansit. tum eandem, quam ingressa erat, viam ita continuavit, ut sub Propylaeis septentrionem versus ducta per clivum arduum descenderet et in dexteram retorta Pelasgici reliquias Luciani et Philostrati temporibus insignes circumvecta ad mansionem, quae prope Pythium sita erat, perveniret.

162) totam quaestionem, quae de Eleusinio est, iterum referre huius loci non erat. quare ea testimonia sola, quae ad pompam pertinent, interpretatus sum. quae sola sufficiunt.

non coniungimus; quod Ungero et Loeschkio ducibus facere nullo modo dubito[163]).

quomodo autem pompa a foro ad arcem ducta sit, dubitari non iam potest. nam Athenarum viam principalem, quae circum Areopagum in arcem ducebat, viam pompicam fuisse certum est[164]). hac enim via etiam omnes eae pompae, quae trans forum in urbem meridionalem ducebantur, usae videntur esse[165]). Panathenaica autem pompa postquam circum Eleusinium ducta est, currum (navalem) illic relinquebat atque peplo in vexillo portato arcem intrabat. deinde in arce eam viam cuius vestigia adhuc apparent[166]) secuta peplum ad Minervae templum vetustissimum, a saeculo quinto igitur exeunte ad Erechtheum deducebat. ad postremum sacrificio in magna ara facto dissolvebatur[167]).

qua via pompa ab eo tempore utebatur, quo arcis aditus ita, ut etiam hodie exstat, constitutus est. sed antiquissimis temporibus linea recta a foro ascendebat ad portam veterem, quae in Areopagum et in forum spectabat[168]).

4. de pompae ordine.

quoniam pompae et partes et viam absolvimus, nunc totam pompam ita adumbrare conemur, ut ordinem, quo singulae partes ductae sint, restituamus. gravissima autem ea sunt, quae e zophoro colliguntur, nam neque alius magnae pompae ullam imaginem integram tenemus neque e scriptoribus ullius ordo totus restitui potest. saepe igitur in Pana-

[163]) Unger Enneakrunos u. Pelasgikon, Sitz.-Ber. d. München. Ak. philos. philol. Cl. 1884 I p. 263 sqq., Loeschke Enneakrunosepisode p. 13.

[164]) Doerpfeld Ath. Mitteil. XVI p. 445; XVII p. 91 sqq., p. 281, p. 439 sq.; XIX p. 501, tab. XIV. viam principalem, quae a foro ad arcem ducit, pompae viam fuisse etiam tum certum esset, si clivus, qui intra arcem et Areopagum in septentrionem descendit, non nimis arduus esset, quam in quo pompa commode ascendisset. acclivis autem etiam ea via est, quam Doerpfeldius eruit: quocum Xenophontis illud εἰς τάχος ἀνιέναι bene convenit. quam Athenarum viam pompicam fuisse, quae a Dipylo per forum circum Areopagum ad arcem ad theatrum ad Ilisum ferebat, suspicandum est. nam multas ex iis, quae infra tractatae sunt, pompis hac via usas esse aut certum aut veri simile est neque ulla obstat, cf. not. 165. cuius viae primam partem statuerunt de Wilamowitz Kydathen 202, Toepffer Att. Gen. 183, 3.

[165]) vide mysteriorum tres pompas dierum 14, 16, 19; Oschophoria; Epitaphia; Lenaea; Anthesteria; magna Dionysia; Olympica; Scirophoria; fortasse etiam pugnae Marathoniae Charisteria huc pertinent.

[166]) Curtius u. Kaupert Atl. von Athen tab. III, Baumeister s. v. Athen tab. III, Iwan Mueller Hdb. III B post p. 352.

[167]) CIA II 163 v. 19—20 (magna ara).

[168]) Aus Kydathen Robert p. 175 sqq., de Wilamowitz p. 200 sqq.; Doerpfeld Ath. Mitteil. XX p. 197. Wilamowitzii verba p. 203 v. 15—16. nunc ita mutanda sunt ut pro 'links' 'rechts' pro 'burghuegel' 'Areshuegel' scribamus. quod postquam Doerpfeldius viam pompicam eruit necessarium est.

thenaicae pompae similitudine niti cogemur. haec autem pompae forma duabus pompis, quae in zophoro sculptae sunt, comparatis inter se et eis, quae in zophoro desiderantur, suo loco suppletis statuenda est[169]): canephori, quae canistra sacra in capite portabant, in primo procedebant agmine; quas earum, quae pompea aurea et argentea canistris et nonnulla, velut thymiateria, manibus portabant, ordo longus[170]), deinde diphrophori sequebantur. post canephoros autem sciadephori puellae metoeci procedebant. tum hostiae ita ducebantur, ut Atheniensium boves cum ovibus primum obtinerent locum, hecatombe autem, denique magnis Panathenaeis colonorum boves ovesque sequerentur. deinde scaphephori et hydriaphori multi procedebant, concludebant hostiarum comitatum musici[171]). tum puer iresionam simplicem portabat; quem thallophori senes sequebantur[172]). deinde magistratus Athenienses secutos esse veri simile est[173]); post quos fortasse magnis Panathenaeis singularum civitatum legati et ii, qui in certaminibus vicerant, omnes procedebant[174]). tum pedites Athenienses ordine longo sequebantur[175]), denique currus multi atque splendidi, inter quos apobatae primum locum obtinebant[176]). magnis autem Panathenaeis in primo curru peplus in vexillo suspensus vehebatur[177]).

---

169) v. s. p. 3.

170) hoc in utraque zophori parte videmus. utriusque autem agminis primae puellae hieropoeis canistra sacra, quae cultrum hordeum vittas continent, tradiderunt (v. not. 132); sed utrum fortuito factum sit, ut tribus sacrificiis, quae magnis Panathenaeis facta esse vidimus, tria canistra in zophoro respondeant, an consulto, diiudicare non ausim.

171) omnes hostias duobus, magnis vero Panathenaeis tribus agminibus continuatis ductas, deinde scaphephoros hydriaphoros musicos secutos esse inde concludo, quod nec multos metoecos paucas hostias nec paucos has, hecatomben multos deduxisse veri simile est. item canephori unum conficiebant agmen; nam ne zophoro bipartito decipiamur cavendum est.

172) frugum (imprimis pomorum, v. i.) primitiae in iresiona suspensae offerebantur; ergo puerum cum iresiona hostiarum agmen magnum vestigiis consecutum esse veri simile est. thallophoros autem cum iresiona arte coniunctos fuisse exposui.

173) nam a canephoris usque ad thallophoros pompae pars sacra ordine nusquam interrupto porrigebatur; neque magis magistratus post milites aut post legatos processisse cogitari potest.

174) hos intra Atheniensium pedites et currus inclusos fuisse veri simile omnino non est.

175) pedites in zophoro neglectos post equites processisse nemo putabit, qui semel pedester equitum turmas secutus est; praeterea pulvis Athenis semper superfluebat (cf. Herod. VIII 65).

176) alii in zophoro non sunt. quos vetustissimos fuisse dixi.

177) ab initio peplum in curru vectum esse supra conieci atque ne navem quidem ab hoc loco remotam esse veri simile est. in zophoro autem currum cum peplo sculpi non potuisse supra demonstravi; e zophoro igitur peplum in primo agmine ductum esse concludi nequit.

ad postremum equitum turmae splendidae, illud ἄγαλμα τῆς ὑπερπλούτου χλιδῆς, pompam pulcherrime concludebant.

qualem ordinem in omnibus pompis similibus fuisse inde puto, quod singula cogitate disposita sunt. nam primum sacerdotes, qui pompam in ara recipiebant, hordeo cultro vittis pateris hirneis egebant: unde canephori in primo procedebant agmine. deinde hostiae ipsae libis et hydriis sequentibus adducebantur. denique musici, qui et hostias in pompa deducebant et sacrificio faciendo adstabant, sequebantur. tum magistratus et senes et reliqui cives sacrificii participes commode procedebant. equites autem semper pompas conclusisse ultro intellegimus. cuius ordinis vestigiis, ubi e scriptoribus colligi potuerunt, suo loco usus sum[178]).

5. de pompae natura et origine.

de pompae indole et primordiis antequam iudicium ferre possumus, quid ipsi Athenienses de Panathenaeis senserint, videndum est. quod ex Atthidis reliquiis elucet: nam ab Erichthonio Panathenaea instituta esse Hellanicus Androtio[179]) marmor Parium[180]) Philochorus[181]) tradunt. accedunt posteriorum testimonia[182]). e quibus nomen Panathenaeorum apud plurimos fuisse censendum est[183]; sed etiam nomen vetus Athenaeorum in Atthide erat; quod et Pausaniae et nobis Ister servavit[184]). qui autem Panathenaea cum synoecismo coniungenda esse arbitrati

---

[178]) eundem ordinem vel in vasculo cognoscimus Boeotico, quod est Journal of hellenic studies I tab. VII (curru omisso repetitum apud Stengelium Hdb. tab. I 4). quo in catino cum pompa nuptialis, quae ad προτελείων sacrificium faciendum ducitur, picta sit, canephorum videmus quae taurum antecedit, tibicinem qui sequitur, deinde nonnullos viros e quibus unus hirneam portat. denique currus cum sponsis et cum parocho agmen concludit.

[179]) uterque apud Harp. Παναθήναια.

[180]) v. 17 sq., v. 21 (CIG 2374).

[181]) in Atthidis libro altero, e quo de sacrificiis ab Erichthonio institutis, de thallophoris, de canephoris nonnulla servata sunt (v. not. 94, 120, 131). ex eodem loco fortasse, e quo schol. Ar. Thesm. 307 = Suid. κουροτρόφος γῆ, id quod apud Apollodorum III 14 invenimus, Erichthonium Minervae simulacrum ligneum in arce instituisse fluxit.

[182]) schol. Plat. Parm. p. 127 b, Apollod. l. c., schol. Aristid. XIII t. I p. 189, 4 Dind.

[183]) hoc apud Hellanicum et Androtionem ea de causa certum est, quod Harpocratio ad nomen Athenaeorum Istrum citat, veri simile apud Philochorum e locis citatis. item marmor Parium nomen Panathenaeorum exhibet.

[184]) Ister apud Harp. l. c., paulo accuratius, sed Istri nomine omisso Paus. VIII 2, 1 (cf. Wellmann de Istro Callimachio p. 104). etiam hoc nomen in Atthide, sed paucis receptum fuisse ea de causa puto, quod talia fingere Istri Callimachii non erat: nam ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδει. accedit quod non historiam Atticam, sed Ἀτθίδων συναγωγήν scripsit. parum nota autem protrahere Alexandrini gaudebant. cf. not. 185.

Erichthonio Athenaea tribuebant, illa a Theseo instituta esse putabant[185]). e nomine igitur Panathenaea, antequam Atticae partes singulae coniunctae sint, exsistere non potuisse concludebant. nobis autem, utrum illi nomen recto interpretati sint necne, utrum Athenaeorum vestigia servata sint an interierint, videndum est. deinde magna Panathenaea saeculo sexto instituta esse omnes sciebant. quae posteri Pisistrato attribuerunt[186]).

Athenienses igitur ipsi ab initio Minervae sollemnia ab eis, qui circum arcem habitabant, post synoecismum ab omnibus Atticis celebrata, magna Panathenaea saeculo sexto instituta esse sciebant. quod utrum verum sit an falsum videamus. ab eis autem temporibus quae accuratius novimus ad antiquiora ascendendum est.

ac primum quidem, si pompam qualis a saeculo sexto fuerit examinamus, adulescentes viros senes, qui equis armis corporum virtute splendebant, hostias multas ad Minervae aram deduxisse videmus. cuius pompae in primo agmine virgines deae divitias ostentabant. ut autem quotannis uniuscuiusque pagi Attici cives in pompa procedebant, ita imperii temporibus magnis Panathenaeis civitatum omnium legati pompam sequebantur omnesque hostias offerebant. ei autem, qui Minervae hospitio recepti Athenis vivebant, item atque Athenienses ipsi Minervae serviebant. sic Athenienses, cum victimas deducerent, quotannis deam adibant; quinto vero quoque anno peplus a virginibus Atticis textus Minervae offerebatur. quo factum est, ut populi Atheniensis splendore deae maiestas paene obscuraretur; nam Minervae non magis quam *τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων* Panathenaea erant. nullo autem symbolo antiquo, nullo ritu obsoleto pompa vetustatem sacram prae se ferebat atque etiam iresiona thallophoria splendidiore suppressa est. publica igitur Panathenaeorum natura vel e pompa, quae ad vetustatem servandam maxime

---

185) sic Istrum rem exposuisse e Pausaniae verbis apparet; sed plurimos Panathenaea primum a paucis, post Thesea ab Atticis celebrata esse omnibus verisimile est dixisse, cf. Plut. Thes. XXIV *τήν τε πόλιν Ἀθήνας προσηγόρευσε καὶ Παναθήναια θυσίαν ἐποίησε κοινήν*. idem parum accurate expressum in scholio ad Plat. Parmen. l. c. quod Erichtonii et Thesei instituta vocibus *πρῶτον — ὕστερον* coniungit tamquam si eadem Panathenaea bis instituta sint). antequam autem Erichthonius Panathenaea condidisset, Athenaea simpliciora exstitisse in Atthide certo non dicebantur; quod ut ex Harpocratione, qui Istrum nimis breviter exscripsit, concludi nequit, ita ea de causa veri simile non est, quod Istrum, ne prima Panathenaea Theseo, Erichthonio igitur Athenaea tribueret, impedivisset. praeterea Athenaea, cum Panathenaeorum similia essent, simulacrum ligneum flagitabant; quod idem Erichthonius instituisse in Atthide ferebatur (not. 181). Athenaeorum autem nomen a temporibus antiquissimis aliquo modo traditum esse verisimile non est. immo eos, quos Ister secutus est, synoecismi memores hoc restituisse censebimus.

186) schol. Aristid. l. c., cf. not. 20.

fuisset apta, elucet: iam videndum est, num Panathenaea Atticorum foederis sollemnia fuerint. ad nomen autem aggrediamur.

cuius propinqua principalia Pollux enumerat[187]): *Πανιώνια Παναιτώλια Παμβοιώτια Πάνδια*[188]). quibus *Πανελλήνια* quamquam Hadriani sunt[189]), praeterea Minervam Panachaida[190]) et Cererem Panachaeam[191]) addimus. quae sollemnia omnia totarum nationum propria sunt, cum alia numina aliis praeessent foederibus, quibus nationum singularum partes coniungebantur. Panathenaeorum igitur nomen, etiam si Neptunus olim vicisset, non minus exstaret quam Panioniorum, si Minervae cultus Jonas coniunxisset. nisi ea de causa autem, quod populus Atheniensis nomen a sua dea duxit, fieri non potuit, ut nomen Athenaeorum, quod Minervae sacra, non sacra Atheniensia significare ultro intellegitur, simpliciter in Panathenaea amplificatum esse putaretur[192]). *Ἀθηναία—Ἀθήναια;* certo; sed Panathenaeorum *Παναθηναία* desideratur. quae autem forma sola cogitari possit, *Ἀθηναίαν Παναθηναίδα* dico, eius, cum populus nomen a dea duxerit, non ita, ut nominis *Ἀθηνᾶς Παναχαίδος*, opus erat. e nomine igitur Atticorum foederis sacra cognoscimus. accedit quod paulo antea Synoecia Minervae celebrabantur[193]: nam ut his Thesei facinoris memoria colebatur, ita illa foederis ipsius erant sollemnia Minervae Poliadi ita celebrata, ut Panboeotia Minervae Itoniae[194]). cum autem eadem essent Minervae sollemnia principalia et foederis sollemnia, factum est, ut nomine Panathenaeorum haec non magis quam illa significarentur. ea autem Panathenaea quae inde a saeculo quinto etiam aliis locis invenimus, partim Atheniensia imitantur partim eiusdem naturae sunt[195]).

quoniam e sollemnium nomine satis gravia collegimus, nunc quid e mensis nomine sequatur, videamus. ac primum quidem nomen Hecatombaeonis a magno quodam sacrificio sumptum esse certum est. sic enim

---

[187]) VI 168.

[188]) etiam Pandia, cum singulorum nobilium Iovis cultus foederatos comprenderent, eiusdem naturae erant, cf. de Wilamowitz Kydathen p. 133.

[189]) Paus. I 18, 9.

[190]) Paus. VII 20, 2.

[191]) Paus. VII 24, 3.

[192]) cf. *Ἀθήναια* Spartae Minervae Chalcioeco celebrata IGA 79.

[193]) Thuc. II 15.

[194]) Strab. IX p. 411 C.

[195]) velut ea quae Themistocles Magnesiae instituit (Athen. XII p. 533 e), Iliaca CIG 3599, 3601, 3620 (*νέα Παναθήναια*) saeculis tertio et altero Minervae Iliadi celebrata, Pergamena (Inschr. v. Pergamon 18, 17, 31, 156, 13, 253, 6, 18). neque quicquam valent posteriorum temporum Panathenaistae (Rhodi CIGI I 36, 107, 159, 161; Tei CIG 3073). Megalopolitana autem tribus *Παναθαναία* nihil aliud docet atque eos, qui Athenienses non erant, vocis ancipitis vi altera usos esse, altera Athenienses — sive simul et hac et illa.

Spartae Hyacinthiorum mensis, qui multis aliis locis Hyacinthius appellabatur[196]), Hecatombeus[197]) et Myconi Apollo, cui mense Hecatombaeone primum sacrificium fiebat, ipse Hecatombius nominabatur[198]); sic Pythiorum mensis Bucatius erat[199]); qui etiam aliis locis occurrit[200]). a magnis igitur sacris etiam Atheniensem Hecatombaeonem nomen duxisse concludendum est. quocum ea, quae de huius mensis origine traduntur, bene conveniunt: nam ante Thesea Cronionem sive Cronium appellatum ab illo, scilicet cum synoecismum faceret, Hecatombaeonem nominatum esse in Atthide fuisse veri simile est[201]). Athenienses igitur ipsi Hecatombaeonem a Panathenaeorum hecatomba tunc instituta derivasse videntur. sed ne illos vera credidisse putemus, causis gravibus impedimur[202]). ergo Hecatombaeonem a Panathenaeis tamquam foederis sollemnibus originem duxisse quamquam veri simile, tamen certum non est.

e quibus omnibus Panathenaeorum naturam ab eis temporibus, quibus Attica in unam civitatem coniuncta est, publicam fuisse elucet. sed ut Athenienses Minervae sollemnia antiquissimis temporibus tribuebant, ita etiam hodie rerum vetustiorum vestigia exstant: iresionam dico et sacrificium duplex, quorum opera ad saecula antiquissima ascendimus; nam sacrificium duplex inde ortum esse, quod Minervae cultus novus cum Terrae antiquiore coniungi debebat, supra vidimus atque iresionam vel antequam Minervae cultus institutus et oliva Graecis tradita est Terrae in arcem ductam esse demonstrari fortasse potest. quam paulo accuratius examinemus necessarium est. atque primum, quid iresiona Hecatambaeone exeunte sibi voluerit, quaerendum est; nam messis prior iam dudum absoluta, posterior nondum instituta erat neque quicquam praeter poma

---

196) velut Rhodi Calymni Coi Byzantii (CIGI I 4) (calendarium Rhodium) multis aliis locis (v. indices); BCH VIII p. 33 v. 44; Paton and Hicks Inscriptions of Cos 367 v. 2 et 24, 368 VIII v. 43. Papiae gloss. Ἰάθεος.

197) Hes. Ἑκατομβεύς.

198) Dittenberger Syll. 373.

199) CIA II 545 v. 45. de Deliorum et Teniorum Buphonione iudicare non possumus, quia sollemnia quae hoc mense celebrata sunt, parum novimus (CIA I 283, CIG 2338).

200) in Boeotia in Aetolia Amphissae Erinei Lamiae (BCH V p. 55, 407, 427, 433; Rangabis Ant. hell. II 659).

201) Saturni cultus a Cecrope institutus e Philochoro apud Macrob. Saturn. I 10, 22; Cronius mensis, quo Theseus Athenas advenisse dicebatur, Plut. Thes. XII, Cronion postea Hecatombaeon appellatus in Et. M. Ἑκατομβαιών (in lex. Segner. V s. v.). quae illo loco de mensis nomine ab Apolline derivato dicuntur (partim inepta) ad Athenas vix referri possunt. sed apud alios Graecos Apollo Hecatombius exstabat, velut Myconi (not. 198). Samium mensem Cronionem e titulis novimus, Kirchhoff, Monatsber. d. Berl. Akad. 1859 p. 748, Perinthium e Papiae glossa prima (Hermann Philologus II, p. 248) cf. Ahrens mus. rhen. XVII p. 345.

202) Preller-Robert I p. 51 sqq.

aestiva hoc tempore metebatur. sed illorum gratiam re vera iresiona Panathenaica missa relatam esse e carminis primis verbis elucet: cum enim Pyanopsiis (et Thargeliis) carmen sic inciperet: *εἰρεσιώνη σῦκα φέρει καὶ πίονας ἄρτους*, ea, quae e carmine Panathenaico servata sunt, haec sunt: *εἰρεσιώνη σῦκα φέρει καὶ μῆλα καὶ ἑξῆς*; mala in frumenti locum posita sunt[203]). morem igitur rusticum Thargeliorum et Pyanopsiorum iresiona multo simpliciorem — nam exiguae pomorum messis gratia referebatur — cognoscimus. quam iresionam ab initio Minervae oblatam esse vix credi potest, praesertim cum utriusque messis magnae gratia Apollini offerretur semperque maior esset Minerva, quam cui Pomonae munus suffecisset. ergo hanc iresionam temporibus antiquissimis Terrae fuisse puto. postea autem, cum Minerva ab eis, qui circum arcis rupes habitabant, culta primum obtineret locum, cum boves (quibus antea tamquam aratoribus pepercerant) Minervae, oves Terrae sacrificarentur, illa etiam iresionam arripuit; quod ea de causa fieri potuit, quod Minervae natalicia[204]) semper eo tempore celebrata sunt, quo agricolae terrae pomorum gratiam referebant; tum ab oliva sacra, quae Minervae erat, verbena sumebatur atque tandem, postquam thallophoria instituta est, termites iresionam veterem prorsus obscuraverunt. —

sed iresionae causa citius progressi sumus; iam quae concludenda sunt, ea concludere tempus est. sunt autem haec: Minervae natalicia ei, qui circum arcem agros colebant et boves armenta equos educebant, Hecatombaeonis die Minervae sacro celebrabant. quibus sollemnibus nobiles antiquitus apobaten certamen instituisse et currus in pompa, qua boves cum ovibus offerebant, deae produxisse censendum est. praeterea quinto quoque anno peplus, quo simulacrum ligneum induebant, in primo curru in vexillo suspensus vehebatur. haec erant Athenaea vetera. deinde, cum tota Attica Athenis adiceretur, omnes Minervae cultu communi coniungebantur: iam Panathenaea foederis sollemnia facta sunt. tandem anno 566., cum gentes nobiles ultimum valerent atque splenderent, magna Panathenaea instituta sunt. quae saeculo quinto imperii Attici gloriam per quinquennium non minus quam Dionysia annua prae se ferebant atque postea magnorum temporum memoriam servaverunt. populi autem Athe-

---

203) num Hipparchi verba apud Strab. I 2. 3, C 16 ad iresionam Panathenaicam referenda sint, parum constat. sed ea de causa verisimile non est, quod Pyanopsiorum et Thargeliorum iresionae magis notae erant. haec autem verba sunt: *ὡς ἄν εἴ τις, φησὶν ὁ Ἵππαρχος, Ἀττικῆς εἰρεσιώνης κατηγοροίη καὶ ἃ μὴ δύναται φέρειν μῆλα καὶ ὄγχας, οὕτως ἐκείνου (τοῦ ποιητοῦ) πᾶν μάθημα καὶ πᾶσαν τέχνην.* quibus e verbis, ne quis mala (quae in carmine sunt) et pira in iresiona Panathenaica non fuisse concludat, non timeo.

204) Callisthenes in schol. Lyc. 319.

niensis imaginem Parrhasius melius exprimere non potuit, quam populus ipse pompa Panathenaica ducta, sculpta in Parthenone Phidias.

excursus.

de diphrophoris.

de diphrophoris item atque de scaphephoris et de sciadephoris ita, ut errores inveteratos eiceret, egit de Wilamowitz Herm. XXII, p. 219 sq. deinde Furtwaengler (Meisterwerke p. 187,2) illas metoecos non fuisse recto dixit. nam in uno Aristophanis loco perperam intellecto haec opinio nititur. quem totum interpretari in animo est; quare Avium versus 1494—1555 relegas velim.

Prometheus veste velatus et umbella tectus furtim accedit, Pithetaerus autem in sella sedens nonnullas aves animo aequo praeparat[205]). deinde ubi Promethea agnoscit laete surgit et illi occurrit. hic autem, ut Pithetaero atra consilia ad aurem insusurret, illi, qui causae inscius miratur, umbellam manu tenendam tradit. tum Pithetaerus, ubi quid umbella sibi velit comperit, illam summo gaudio ita vibrat, ut Prometheus tutela privatus occultandi quodam gestu terrorem ostentet. quod cum Pithetaerus statim cognoscat, umbellam diligenter super illius capite ponit et aurem praebet. tandem sermone finito Prometheus denuo e Pithetaeri manibus umbellam recipit et facetia prolata abit; Pithetaerus autem Attico sale haud expers, cum eam, in qua initio sederat sellam tollat, haec respondet: *καὶ τὸν δίφρον γε διφροφόρει τονδὶ λαβών.*

ex Aristophane igitur nisi diphrophoros Athenis exstitisse nihil colligendum est. deinde e Nicophontis Enchirogastoribus[206]) et ex Hermippi Deis[207]) diphrophoros cum canephoris aliquo modo coniunctas esse videmus. accedit ipsius Aristophanis testimonium (Eccl. 734), e quo nihil aliud nisi diphrophoros cum canephoris in pompa processisse elucet; nam integra pompa est, quam homo ille miserrimus cum sua supellectile instituit: canephorum enim diphrophorum scaphephorum hydriaphorum citharistam cognoscimus; quod alter civis perspicit, cum dicat *οὔτι μὴ Ἱέρωνι τῷ κήρυκι πομπὴν πέμπετε*; ipsum autem, qui feminarum decreto obsequitur, hostiam bovem esse censeas. denique Strattis in Atalanta

[205]) Pithetaerum dum chorus canit in sella sedisse inde veri simile est, quod paulo postea illa utitur. aves autem ea de causa vellisse videtur, quod in scena sequente iam vulsae sunt; neque enim Pithetaerum Prometheo adveniente nihil fecisse censebimus.

[206]) Meineke 2, 852; I 470.

[207]) Meineke 2, 389; I 142 utrumque poetam scholiasta ad Aristophanis versum 1549. citat.

diphrophoros commemoravit[208]). ceterum vel ea de causa, quod apud Harpocrationem, qui, cum metoecorum munera satis accurate perquisiverit (cf. *μετοίκιον*), Demetrium certo diligenter exscripsit, diphrophori non sunt, illas metoecos non fuisse concludendum esset.

praeterea diphrophori et ex argilla fictae et pictae in vasculis occurrunt, cf. sigillum figlinum Journal of hell. stud. XI p. 144. quod in sepulcro quodam in Ceramico repertum est (mortua diphrophorus videtur fuisse) et pelicen quae Berolini asservatur Jahrb. X, Anzeiger p. 36. in Panathenaica autem pompa diphrophoros processisse e zophoro videmus[209]). sed num ea de causa, quod una cum peplo in templo apparent, diphrophoros ante canephoros processisse concludendum est? minime, nam ne peplum quidem in primo agmine ductum esse demonstrare conatus sum. sed item atque peplus sellae in templo interiore ad cerimonias sacras faciendas adhibebantur, item sculpendo inter canephoros eadem de causa, qua illae canistris carent, parum aptae erant: nunc autem peplum, qui in templo traditur, cum reliqua pompa pulcre coniungunt[210]); atque sellas pompea fuisse e titulo II 741 B videmus. diphrophori igitur non minus canephori erant, quam eae puellae, quae thymiateria portabant. hic autem canephororum ordo erat: canephori cum canistris sacris, canephori cum pompeis, quae maximam partem canistris in capite portabantur, diphrophori. e quibus et hae et illae canephori aram adibant, diphrophori sellas in templum portabant.

ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ ΤΗΣ ΕΝ ΜΑΡΑΘΩΝΙ ΝΙΚΗΣ. ΒΟΗΔΡΟΜΙΑ.

Athenienses pugnae Marathoniae gratiam ita referebant, ut sexto Boedromionis die quingentas capras in pompa ad Dianae Agroterae sacrum deducerent[1]). quam pompam cui polemarchus praeerat[2]) ab initio milites

[208]) Suid. *διφροφόροι*, Meineke 2, 766; I, 429. cf. Hes. et Et. M. (Suidas s. v. *δίφρον* schol. Ar. l. c. exscripsit, s. v. *διφροφορουμένους* Herodoti nomen, quod in Et. M. in Herodianum corruptum est, servavit).

[209]) Michaelis tab. 14; 31 et 32.

[210]) cf. puellae 31. caput retortum.

[1]) Xen. Anab. III 2, 12, cf. Herod. VI 109 sq., Aristoph. Equit. 660 cum scholio, Plut. de glor. Ath. VII, de malignit. Herod. XXVI *οὐδὲ τὴν πρὸς Ἄγραν πομπὴν ἱστόρηκας ἣν πέμπουσιν ἔτι νῦν τῇ ἕκτῃ* (v. Mommsen p. 175, 4) *χαριστήρια τῆς νίκης ἑορτάζοντες*: in pompa igitur sacrificandae ducebantur caprae. cf. Arist. *Ἀθ. πολ.* LVIII 1. Lacedaemonii Dianae Agroterae ante pugnas capras tamquam *σφάγια* immolare solebant (Xen. hell. IV 2, 20, cf. rem publ. Laced. XIII, 8, Plut. Lyc. XXII), qualia *σφάγια* etiam apud Athenienses usitata fuisse ex Eur. Heracl. 821 videmus, cf. de Wilamowitz Herm. XVII p. 339. Callimachus igitur, cum ante pugnam Dianae Agroterae capram immolaret, sacrificium magnum vovisse censendus est. (vide quomodo Aristophanis scholiasta Athenienses, qui tantae victoriae gratiam vilibus referrent capris immolatis, excusare conetur.)

[2]) Arist. *Ἀθ. πολ.* l. c.

secutos esse et per se certum est et eo confirmatur, quod posterioribus temporibus ephebi armati sequebantur[3]. equites autem, qui multis pompis intererant, hanc prae ceteris secutos esse veri simillimum est[4]). huius igitur formae pompa videtur fuisse: quingentae caprae quae erant Dianae immolandae in primo agmine ducebantur; quas polemarchus cum strategis sequebatur. deinde pedites, inter quos postea ephebi splendebant, certis ordinibus divisi procedebant, concludebant pompam equites[5]). cum autem pompae viam certo definire non possimus, tamen per forum et per viam Panathenaicam ad Ilisum, denique ad templum Agris situm ductam esse veri simile est[6]).

sed in pompae forma ita restituenda acquiescere non licet, quia forma ipsa ab ea, quae de Dianae Agroterae sollemnium origine est, quaestione pendet. ac primum quidem vel ante pugnam Marathoniam Dianae Agroterae eodem die sacrificia facta esse statuendum est[7]). deinde ea quae viri docti et sexto Boedromionis diei et Dianae Agroterae attribuerunt Boedromia et a dea et a die discernenda sunt. quae postero die Apollini celebrata esse veri simile est[8]). ergo ea, quam de pompae

---

[3]) CIA II 466—499.

[4]) Demosth. IV, 26, XXI 171 et 174, cf. Panathenaea, Dionysia, Anthesteria, Olympica.

[5]) de pompae ordine v. s. p. 28 sq., cf. Dionysia not. 29.

[6]) de via cf. Demosth. XXI 171, s. p. 27, not. 164. de sacro v. Ath. Mitt. XXII p. 228 (Doerpfeld), cf. Paus. I 19, 7.

[7]) hoc numquam dubitassent, si pugnam Marathoniam Metagitnione circa plenilunium (i. e. cr. diem XIV.) commissam esse respexissent; quod post Boeckhium demonstravit Toepffer Quaest. Pis. p. 135 sqq. instantis igitur diei festi memor Callimachus cum *σφάγια* immolaret magnum vovit sacrificium. quingentae autem caprae Dianae non magis quam militibus oblatae sunt, qui victoria laeti gregem magnam in maiorem deae gloriam comederunt. [hic esset insistendum; sed facere non possum quin paucis ad pugnam ipsam recurram, quam recentiores haud ita feliciter tractaverunt; nam evanuit paene inter coniecturas male fultas verum, quod de tribuum ordine quo erant dispositae in acie dixit Boeckhius Mondcycl. p. 68 sqq., scilicet tribum excepisse tribum inde a cornu dextro pro prytaniarum ordine sortito. ergo, cum Aeantis tribus *πρυτανεύουσα* in extremo steterit cornu dextro, pugna in prima prytania commissa est: falsum igitur est quod Keilius sagacissima ratiocinatione invenit, XIX. Sciroph. die annum illum coepisse (Herm. XXIX p. 321 sqq., tab. IV); ut enim *ἰδέαι* ad *σώματα*, sic Keilii anni ad annos veros.]

[8]) Mommsen p. 176, de Wilamowitz Arist u. Athen I p. 250. quae tradita sint videamus. Demosth. III 31 *ἐὰν — — Βοηδρόμια πέμψωσιν οὗτοι*. Philoch. apud Harp. s. v.: *ἑορτή τις Ἀθήνησιν οὕτω καλουμένη, ἥν φησι Φιλόχορος ἐν β΄ νενομίσθαι ἐπειδὴ Ἴων ὁ Ξούθου ἐβοήθησε σπουδῇ πολεμουμένοις Ἀθηναίοις ὑπ' Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος, Ἐρεχθέως βασιλεύοντος. βοηδρομεῖν γὰρ τὸ βοηθεῖν ὠνομάζετο, τουτέστιν ἐπὶ μάχην δραμεῖν.* ab Harpocratione epitomato Suidas et Et. M pendent; praeterea Et. M. Suidae glossam dialecticam *βοηδρομεῖν* cum illa contaminavit. cui deo igitur Boedromia celebrata esse Philochorus dixerit, Harpocratio non tradit. sed satis certa

forma protulimus, opinio sustinenda et aliam pompam militum impetum complexam septimo Boedromionis die Apollini Boedromio ductam esse censendum est[9]). cuius nec formam nec viam novimus atque coniecturaa viliores sunt quam quae proferantur. qui autem factum sit, ut cerimonie antiqua cum pugna Marathonia coniungeretur, facile intellegimus[10]).

ΜΥΣΤΗΡΙΑ ΤΑ ΜΕΓΑΛΑ.

multas atque diversissimas pompas mysteriorum sollemnia magna Boedromione celebrata praebent.

1. de sacris Eleusine Athenas ductis.

ac primum quidem decimo quarto Boedromionis die sacra Eleusine Athenas in Eleusinium sub arce ducebantur[1]). quae saeculo quinto sacer-

---

ea sunt, quae Et. M. *Βοηδρομιών* ex onomastico illo profert, quod lex. Seguer. V exscripsit: *μὴν παρ' Ἀθηναίοις εἴρηται· ὅτι ἐν αὐτῶι ἐτιμᾶτο Βοηδρόμιος Ἀπόλλων τὴν δὲ ἀρχὴν ἔλαβεν ὅτι πολέμου συστάντος Ἀθηναίοις καὶ Ἐλευσινίοις συμμαχήσαντος Ἴωνος κατὰ συγγένειαν ἐνίκησαν οἱ Ἀθηναῖοι. ἀπὸ οὖν τῆς τοῦ στρατεύματος βοῆς τῆς ἐπὶ τῶι ἄστει δραμούσης ὅ τε Ἀπόλλων Βοηδρόμιος ἐκλήθη καὶ ἡ θυσία καὶ ὁ μήν· καὶ τὰ Βοηδρόμια ἐτελεῖτο ἑορτή. Φερεκύδης δ' ἐν τοῖς Αὐτόχθοσι, διὰ τῆς φωνῆς σημεῖον· ἣν τὸ πρότερον ἀξύνετον οὖσαν, εὗρε καὶ διήρθρωσεν.* quod Pherecydis liber nominatur praeclarum ostendit fontem e quo tota glossa fluxit. ergo Apollini Boedromio Boedromia celebrata esse, etiam si nullum aliud testimonium praesto esset, putaremus. sed multa atque gravia praesto sunt. nam cum nusquam Diana Boedromius inveniatur, apud multos Graecos Apollo Boedromius, a quo menses nomina duxerunt, occurrit; unde Callimachus scripsit *Ὤπολλον πολλοί σε Βοηδρόμιον καλέουσι* (in Apoll. 69). Apollo Boedromius Thebis Paus. IX 27, 1, *Βοηδρομιών* multis locis. quem deum etiam Dores receperunt, unde Delphorum mensis *Βοαθόος* BCH V p. 165 (Apollo Boethous quem Stefanius (Apollon Boedromios p. 52) profert numquam exstitit: nam Apollinis cognomen apud Callimachum (in Del. 27) non magis est quam Dianae (in Dian. 22)). ergo etiam Athenis Apollinem Boedromium, cui Boedromia antiquitus celebrata sint septimo mensis die, qui Apollinis erat sacer, cultum esse censebimus. qui deus ubi habitaverit nescimus, sed prope Apollinis paterni sacrum Apollinis *ἀλεξικάκου* statua erat, Paus I 3, 4. Ion autem Apollinis filius Atheniensibus auxilium contra Eumolpum tulisse dicebatur. quare, cum die sexto Dianae Charisteria celebrarentur, fieri non potuit, quin Boedromia cum pugna Marathonia coniungerentur: unde Herodoti impetus (de Wilamowitz l. c.). in Atthide autem Boedromia in victoriae ex Amazonibus latae memoriam celebrari tradebantur (Plut. Thes. XXVII).

[9]) impetum illum pompae formis expressum esse e Demosthenis verbis *Βοηδρόμια πέμπειν* veri simile est; sed id quod in Etymologici Magni glossa altera est, sacrificium hac in pompa oblatum esse haud facile quisquam credet.

[10]) v. not. 8 in fine.

[1]) CIA III 5 titulus alteri p. Chr. n. saeculi; sed singularum cerimoniarum dies umquam mutatos esse verisimile omnino non est. quae sacra quid fuerint certo confici nequit; sed simulacra non fuisse e titulorum verbis colligendum est: II 470 v. 7 *καὶ προέπεμψα[ν αὐ]τὰ (τὰ ἱερὰ) ὁ[μοίως δὲ καὶ τ]ὸν Ἴακχον.* aliud igitur

dotes Eleusiniae portabant[2]); sed tertio, fortasse iam quarto ineunte, curru simplici, quem boves trahebant, vehebantur[3]). ephebi autem armati atque myrto coronati altero a. Chr. n. saeculo ad Echo locum quendam in via sacra[4]) situm ducti inde sacra in urbem deducebant[5]). contra altero p. Chr. n. saeculo vel decimo tertio die Eleusine missi sacra per totam viam prosequebantur. quibus temporibus *ὁ φαιδυντής*, qui Minervae sacerdoti sacrorum adventum nuntiabat, pompam videtur praecessisse[6]). cum autem eodem saeculo pompa ad Sacram Ficum sub ipsa urbe iter sisteret[7]), ille fortasse in urbem profectus nuntium absolvit, deinde redux factus iam urbem intrandam esse sacerdotibus indicavit. qui mos, si modo exstitit, utrum temporibus antiquioribus tribuendus sit necne, incertum est, sed pompam illo loco semper iter interrupisse ea de causa puto, quod illic Phytalus Cererem primum receperat: primum autem Cereris templum Atheniense Cereris sacra certo adibant. sic Eumolpidae Eleusinii, quibus tota pompa curae erat[8]), cum Phytalidis Atheniensibus coniunge-

---

dei simulacrum ligneum, alia sacra sunt. praeterea in magna pompa, quae 19. Boedr. die instituebatur, solum Iacchum canebant, v. i. denique, quod mihi quidem gravissimum videtur esse, saeculo quinto sacerdotes Eleusiniae sacra portabant, fortasse in capite (Hor. sat. II 8, 13 *ut Attica virgo cum sacris Cereris procedit fuscus Hydaspes Caecuba vina ferens*), cf. not. 2. certo igitur simulacra non erant, sed symbola mystica, quae simulacrorum, quin etiam numinum ipsorum ita fere instar erant, ut fascinum Bacchi: *τῶ καλάθω κατιόντος ἐπιφθέγξασθε γυναῖκες 'Δάματερ μέγα χεῖρε πολύτροφε πουλυμέδιμνε'.* quae inter sacra etiam fascinum fuisse e fabulis, quae sunt de Iamba et de Baubone, verisimile est. — denique schol. Theocr. IV 25 ad sacra cognoscenda nihil valet; nam si omnino ad mysteria referendum est, nihil nisi scholiastam item atque nos, quid sacra fuerint, nescivisse monstrat.

[2]) tit. Ath. Mitteil. XIX p. 163 = Herm. XXVIII p. 623 *τὸν Ῥειτὸν τὸν παρὰ τοῦ ἄστεως γεφυρῶσαι — ὡς ἂν τὰ ἱερὰ φέρωσιν αἱ ἱέρειαι ἀσφαλέστατα* (a. 421.). quod quamquam imprimis ad 19. Boedr. diem referendum videtur esse, tamen item ad 14. pertinet: nam eaedem sacerdotes sacra et Athenas et Eleusina portabant.

[3]) CIA IV 2, 385 d v. 17 mysteriorum epimeletae praebent *τὸ ζεῦγος εἰς τὴν κομιδὴν τῶν ἱερῶν.* huc referenda sunt, quae Probus dicit ad Verg. Georg. I 163 *tardaque—plaustra: sunt enim vehicula quorum rotae non sunt radiatae, sed tympana cohaerentia axi et iuncta cantho farreo. axis autem cum rota volvitur, nam rotae circa eiusdem cardinem adhibentur. hoc vehiculum in sacris Cereris arcanae quae Eleusis appellatur ab oppido Eleusine Attico et id ducunt boves.* cf. Boetticherum Philol. Suppl. III p. 301. circa annum 400. feminae divites in pompa magna curribus utebantur (Arist. Plut. 1013, Demosth. XXI 158, cf. Suid. *τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν σκώμματα* = schol. Arist. Plut. 1014). quod cum antequam etiam sacra curru vecta sunt, factum esse veri simile non sit, currum bobus tractum intra annos 421 (v. not. 2) et 408—388 (Arist. Plut.) institutum esse conicias.

[4]) Harp. *ἱερὰ ὁδός* unde breviter Photius et Suidas.

[5]) CIA II 470; 467—469, 471.

[6]) CIA III 5.

[7]) Philostr. vit. soph. II 20 (p. 602).

[8]) CIA III 5.

bantur. deinde pompa per portam sacram[9]), per Ceramici *δρόμον,* per forum, per viam Panathenaicam ad Eleusinium sub arce ducebatur[10]).

deductionem igitur simplicem, qua symbola sacra Eleusine Athenas transportabantur, cognoscimus. parva autem pompa erat temporibus antiquis, quibus praeter sacerdotes nemo sacra deducebat, maior posterioribus. quibus ephebi agmen sequebantur. quae pompa cum item atque magna illa, quam 19. Boedromionis die ducebant, postquam Eleusis Athenis est adiuncta instituta sit, sanctitate vetusta ea de causa caret, quod non tam a religione praescripta quam inde orta est, quod Atheniensis cultus publici sedes Athenis non erat. unde et sacra Athenas et mystas cum Iaccho Eleusina duci necessarium erat.

2. *ἅλαδε ἔλασις.*

tum decimo sexto Boedromionis die, qui *ἅλαδε μύσται* audiebat, magnum agmen ad lavacrum sacrum, quo mystae expiabantur, instituendum ab Eleusinio per viam pompicam in Phalerum ducebatur[11]). quod tamquam pompam conformatum esse ea de causa veri simile est, quod rex mystas videtur duxisse[12]) et quod agmen epimeletis curae erat[13]).

3. *Ἀσκληπίεια.*

deinde Aesculapio decimo septimo Boedromionis die pompa quae archonti erat curae ducebatur[14]). ut autem dei novi[15]) cultus dignitatem

---

[9]) Pausan. I 37, 2.

[10]) *ἱερὰ πύλη* Plut. Sulla XIV, de Alten Ath. Mitt. III p. 31, tab. 3 et 4, Atl. v. Ath. tab. II prope Dipylum. *ἱερὰ ὁδός* Harp. s. v. de via pompica v. p. 26., not. 164 et 165 (Panathenaea).

[11]) Polyaen. Strat. III 11, 11 *Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα — ἅλαδε μύσται,* cf. Hes. s. v., Plut. Phoc. VI et XXVIII, de glor. Ath. VII, schol. Aeschin. Ctes. 130, cf. Plynteria not. 26. CIA IV 1, 53a *τῶν πυλῶν ἧ(ι) ἅλαδε ἐ[χ]σελαύνουσιν οἱ μύσται* (fortasse porta Itonia, cf. Mommsenium p. 215, 1). in Eleusinio mystas congregatos esse veri simile est; ubi regis *πρόσρησις* facta videtur esse (Poll. VIII 90, cf. Robert Goett. gel. Anz. 161, VII, p. 538). de via pompica v. i. p. 64, Oschophoria not. 16.

[12]) quod e *προρρήσεως* munere sequitur. [13]) CIA IV 2, 385d v. 26.

[14]) Mommsenius p. 217 huic diei pompam recto attribuit. nam Aristotelis verba *Ἀθ. πολ.* LVI 4 *πομπῶν δ' ἐπιμελεῖται (ὁ ἄρχων) τῆς τε τῶι Ἀσκληπιῶι γιγνομένης ὅταν οἰκουρῶσι μύσται καὶ τῆς τῶν Διονυσίων τῶν μεγάλων μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν* huic diei maxime conveniunt (cf. Philostr. vit. Apollon. Tyan. IV 18, *τὰ δ' Ἐπιδαύρια μετὰ πρόσρησίν τε καὶ ἱερεῖα δεῦρο μυεῖν Ἀθηναίοις πάτριον ἐπὶ θυσίαι δευτέραι,* 18. Boedromionis die celebrata). Aristotelis autem verba huc atque non ad Asclepiea, quae 8. Elaphebolionis die celebrantur, referenda esse, e verbis *ὅταν οἰκουρῶσι μύσται* elucet. nam inde, quod apud Aristotelem Asclepiea ante Dionysia posita sunt, nihil colligi potest, quia duas, quae archonti curae sint, coniungit pompas; Thargelia enim et Disoteria eodem modo coniuncta sequuntur, deinde Dionysia et Thargelia certamine connexa. praeterea in titulo II 741 A fr. c Asclepiea ante Thesea, a, b, d ante Dionysia sunt: duo igitur erant.

[15]) de Wilamowitz commentar. gramm. IV p. 25, not. 1, Preller-Robert I p. 521, 3.

prae se ferret, pompa ab initio splendide exornata est; nam multos boves[16]) canephori praecedebant[17]), cives vestibus albis induti sequebantur[18]). cum autem bobus et hominibus multis ad Aesculapii sacrum alius aditus non pateret, pompam per theatri diazoma superius intrasse veri simile est[19]). quae cum in medio clivo duceretur perpulcrum certo praebebat aspectum. e pompae formis autem ut simplicibus, ita splendidis saeculi indoles elucet[20]).

4. *Ἴακχος.*

iam Atheniensium pompam maximam aggrediamur, qua mystae undevicesimo Boedromionis die[21]) mane[22]) profecti Eleusina ducebantur. ac primum quidem pompam qualem a saeculo quinto fuisse scimus. deinde origines atque naturam tractare in animo est. ut autem mysteriorum cerimoniae omnes parum perspicuae sunt, ita pompa accurate describi nequit: nam tamquam nube velatam formam totam videmus. —

multorum hominum agmen non ab uno loco, velut a foro, proficisci poterat, sed singulae partes diversis locis congregatae et ordinatae sint necesse est. ergo cum pompa a Ceramico profecta esse dicatur[23]), Ceramicum totum a foro usque ad portam sacram mystarum plenum fuisse censendum est. ab Eleusinio autem sub arce pompa re vera ordiebatur; nam inde sacra, quae decimo quarto die Eleusine adducta erant, reducebantur[24]); quae saeculo quinto a sacerdotibus Eleusiniis portata et a tertio aut a quarto in curru simplici, quem boves trahebant, vecta esse vidimus[25]). postea autem ephebi armati et myrto coronati ab Eleusinio

16) CIA II 741 A fr. c. *ἐκ Ἀσκληπιείων παρὰ βοωνῶν* X.

17) CIA III 916 *κανηφορήσασαν Ἐπιδαυρίοις.* quod ita intellego, ut omnium ceremoniarum quae 17. et 18. die in Aesculapii honorem fiebant, nomen commune Epidauria fuisse et 18. diem mysticum, cui etiam heroa feralia (CIA II 453 b) attribuenda videntur esse, vel per se eodem nomine significatum esse censeam (*τὰ Ἐπιδαύρια μυεῖν*, Philostr. l. c.). contra primus dies, qui Aesculapii pompam et sacrificium continebat, iure *Ἀκληπίεια* nominabatur. in titulo autem *κανηφορήσασαν Ἐπιδαυρίοις* scriptum est, ut Asclepiea verna excluderentur; quod, si praeter eam quam tractamus pompam nec decimo septimo nec duodevicesimo die ulla ducebatur, prave intellegi non poterat. — Aesculapii canistrum argenteum CIA II 724 B v. 3.

18) vestium colorem album ab initio praescriptum esse veri simile est. cf. Aristid. I, p. 473, Girard BCH. II, p. 69.

19) Athen. Mitt. II, tab. XIII, U. Koehler p. 171 sq.

20) cf. Thesea Disoteria Bendidea Hephaestia.

21) CIA III 5; quod idem ex Herodoto VIII 65 concludi posset. 20. autem die pompa Eleusina adveniebat: schol. Ar. Ran. 324; Plut. Phoc. XXVIII, Camill. XIX; cf. Mommsenium p. 222.

22) Plut. Alcib. XXXIV.

23) schol. Ar. Ran. 399.

24) CIA III 5.

25) cf. notas 1—3.

sacra prosequebantur[26]). sic pompa admodum parva per viam Panathenaicam in forum ducebatur, ubi cum magistratibus sacris et profanis[27]) mystas multos accessisse putandum est[28]); a porticu picta enim hierophantae et daduchi *πρόρρησις* fiebat. deinde pompa, cum per Ceramici *δρόμον* duceretur, perpetuo mystarum greges singulas attrahebat, donec ante Iacchi templum advenit[29]), ubi dei simulacrum ligneum, quod in curru ponebatur, accedebat[30]). tunc primum illud *Ἴακχ' ὦ Ἴακχε* sonuit[31]). qui autem infimis temporibus occurrit *ἱερεὺς Ἰακχαγωγός* aut currum praecededat aut sedebat in curru[32]). deinde pompa per portam sacram Ceramicum exteriorem intrabat, ubi ultimos mystas accessisse veri simile est. iam ingens piorum multitudo sacra et Iacchum sequebatur: nam ut lapis de summo monte devolutus crescentem nivium molem secum rapit, ita sacra ab Eleusinio profecta mystas attrahebant[33]). cum autem saeculo quinto omnes pedibus procederent, a quarto feminae divites[34]), postea etiam alii, imprimis magistratus sacri curribus utebantur[35]); qua consuetudine Lycurgus feminis frustra interdixit[36]). quo in agmine magno quomodo partes singulae distributae sint, accuratius definiri nequit. tamen sacra et Iacchum, quae in prima ducebantur pompa, magistratus sacros Eleusinios et Athenienses urbiumque legatos[37]) vestigiis secutos esse veri simillimum est. postea autem etiam ephebi, quos cosmeta armatos et myrto coronatos et ordinibus militaribus distributos in pompa ducebat, sacra prosequebantur[38]). denique mystarum multitudo varia ita ordinata, ut virorum et feminarum chori separarentur inter se, procedebat[39]). omnes autem myrto coronati[40]) et multi vestibus albis induti erant[41]).

---

26) CIA II 466—471, III 5.

27) velut archontes senatores epimeletae [de quibus accurate tit. IV 2 385 d] alii.

28) Arist. Ran. 369 sqq. cum scholio, cf. Robert Goett. gel. Anz. l. c. p. 538.

29) Paus. I 2, 4, Plut. Arist XXVII, Alciphr. III 59, Clem. Alex. Protrept. IV p. 64 P.

30) ligneum, non marmoreum simulacrum in pompa ductum nec manibus per viam longam portatum esse non est quod demonstremus.

31) Arist. Ran. 316 sq. 32) CIA III 262, Poll. I 35.

33) certo numerus permagnus erat; sed quomodo ex Herodoti, qui fabulam refert, verbis VIII 65 *ἰδεῖν δὲ κονιορτὸν χωρέοντα ἀπ' Ἐλευσῖνος ὡς ἀνδρῶν μάλιστά κη τρισμυρίων* illis temporibus 30 000 mystarum fuisse concludi potuerit miror. nam nisi numerum magnum ille significare noluit. quod Plutarchus ut homo Graecus recto intellexit (Them. XV).

34) cf. not. 3. 35) CIV II 834 b v. 41.

36) vit. X orat. Westermann biogr. min. p. 273.

37) CIA II 542 architheorus et theori Milesii.

38) CIA III 5 v. 23—24. 39) Arist. Ran. 409 et 444.

40) Ar. Ran. 330 cum scholio, cf. not. 38. demarchus Eleusinius myrto coronatur CIA IV 2, 477 c. v. 18.

41) Herodes Atticus ephebis vestes albas dedit CIA III 1132, Philostr. vit. soph. II 1, 5. unde multos ita vestitos fuisse veri simile est.

contra de itineris longi forma omnino non constat: nam id tantum scimus cerimonias multas (sacrificia libationes saltationes hymnos)[42]) cum multis monumentis (tumulis aris simulacris templis)[43]) coniungendas esse[44]); quae cerimoniae autem quibus in monumentis quomodo factae sint, nemo dicere potest. quare nec Pausaniae verba, quibus viam sacram describit, refero nec singulos locos sacros, qui cum religione Eleusinia cohaerebant, enumero (velut Sciri tumulum et templa ad Sacram Ficum atque in faucibus intra Corydallum et Poecilum). nam melius qui Pausaniae verba ipsa leget, cum pompae formam qualem restituimus in mente verset, itineris speciem oculis proponet[45]).

sed unam atque gravissimam cerimoniam sacram accuratius novimus, gephyrismos dico ludicra in Cephisi ponte facta[46]) ubi, cum pompam lente procedere necessarium esset, vetus mos rusticus commode absolvebatur. item enim atque lavacro illo, quod eo die, quem *ἅλαδε μύσται* appellamus, instituebatur, mystae cavillando expiabantur et impune per licentiam sacram versibus alternis opprobria rustica fundebant. quem morem saeculo quinto a re publica ordinatum videmus esse: nam singuli chori certabant inter se et is, qui cavillando vicerat, certaminis praemium recipiebat[47]). ut autem cives noti et famosi irridebantur, ita quivis aut quaevis e mystis[48]) et item atque Steniis feminae imprimis cavillabantur inter se[49]).

tandem sole occidente[50]) mystae laborem multum passi[51]) Eleusina adveniebant, ubi pompa taedis accensis et carminibus decantatis per locos sacros ducebatur[52]). denique Iacchi simulacrum ligneum in templo con-

[42]) Plut. Alcib. XXIV, CIA III 5 v. 26—27.

[43]) Pausan. I 36, 3—38, 7.

[44]) pompa Panathenaica fori sacra singula venerabatur, v. s. p. 24.

[45]) quomodo illud *κροκοῦν* (lex. Seguer. V, Bekker p. 273) cerimoniam diuturnam in pompa factum esse cogitari potuerit, parum intellego. nam inde, quod Croconis arx in via sacra erat (Paus. I 38, 1), nihil sequitur. num Croconidae hoc in loco revincti erant?

[46]) Strab. IX 1, 24 p. 400 C, Hes. *γεφυρισταί* et *γεφυρίς*.

[47]) Ar. Ran. 392.

[48]) Ar. Ran. 409 sqq. Aristophanis verba Mommsenius p. 230 sq. parum recte ad pannychida Eleusiniam retulit. nam primum, ne poetae carmen subtilius interpretemur, cavendum est, deinde versus 386. obstat: *καὶ μ' ἀσφαλῶς πανήμερον παῖσαί τε καὶ χορεῦσαι.* in ponte certamen magnum instituebatur; praeterea per iter longum hoc modo tempus consumebant.

[49]) Suid. *τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν σκώμματα* = schol. Ar. Plut. 1014.

[50]) unde fuerunt, qui pompam diei vicesimo attribuerent, cf. not. 21.

[51]) imprimis pulverem, quem iam illis temporibus in viis Atticis multum fuisse ex Herodoto (VIII 65) vidimus; cf. Arist. Ran. 401.

[52]) Arist. Ran. 313 sq., Eur. Ion. 1074, Lactant. I 21, 24, Fulgent. I 10.

debatur[53]), mystae autem, cum per prata florida vagarentur, pannychida instituebant[54]).

iam quae pompae magnae origines et natura fuerint videamus. atque inde, quod nisi postquam Eleusis Athenis subiecta est, pompa institui non poterat, ordiendum est. superstitionem igitur antiquam pompae formis expressam esse nemo suspicabitur. sed pro ea, qua fuit a saeculo quinto forma, mysteriorum pompa earum, quibus deorum simulacra deducebantur pomparum, velut Plynteriorum aut Dionysiorum, similis videtur esse: nam Iacchi simulacrum Eleusina ducitur, Iacchum mystae canunt, ab Iaccho dies festus et pompa ipsa nomen duxerunt[55]), ut Iacchus rite in pompa veheretur, postea sacerdos Iacchagogus exstitit; Iacchi igitur deductio pompa magna videtur esse. at haec neque origo neque etiam saeculo quinto[56]) pompae natura erat, nam a pugna Salaminia Iacchi gloria orsa est[57]) neque antiquitus Iacchi simulacrum in pompa ductum esse demonstrari potest. immo pompa inde originem duxit, quod deae Eleusiniae etiam postquam civitas Eleusinia ab Atheniensibus subiecta est, Eleusine, non Athenis habitabant. Athenienses igitur ad mysteria celebranda Eleusina proficisci necessarium erat: quod ita faciebant, ut pompam magnam instituerent. ut autem mystae Athenienses omnes, ita Iacchus deus mysticus Atheniensis, qui Athenis cum matre et cum filia haud aliter coniunctus erat atque Triptolemus Eleusine, deas adibat. multo rectius igitur Cereris illa sacra, quibus, cum Athenas transportarentur, quam arte dea cum urbe coniuncta esset, significabatur, a mystis deducta esse dici possunt. nam Ceres Athenas veniebat, ut mystas ad mysteria celebranda secum Eleusina duceret. qualem pompae naturam fuisse puto.

haec igitur constant: antiquitus mystae pompa magna instituta Eleusina se conferebant; cuius agminis in capite Cereris symbola sacra portabantur. postea, quantum quidem videtur non ante pugnam Salaminiam, Iacchus, qui cum Atheniensibus artius quam cum symbolis sacris cohaerebat, simul Eleusina ducebatur[58]). deinde Iacchus paulatim

---

53) CIA IV 2, 385d v. 20 (*οἱ ἐπιμεληταὶ*) *ἐπεμελήθησαν δὲ καὶ τῆς Ἐλευσῖνι τοῦ Ἰαόκχου ὑποδοχῆς* quod Mommsenius p. 233, 2 non recte eiecit. sed quo templo Iacchus receptus sit nescimus.

54) Ar. Ran. 371 sq.

55) Strab. X, 10 p. 468 C; Plut. Cam. XIX, Phoc. XXVIII, Alcib. XXXIV; schol Ar. Ran. 324 et 399; Polyaen. III 11, 11; Hes. *Ἴακχον*, Phot. Suid. *Ἴακχος*.

56) v. not. 58.

57) Kern, Ath. Mitt. XVII p. 138 sq.

58) quod Aristophanes sensit, cum mystas induceret canentes *νῦν καὶ τὸν ὡραῖον θεὸν παρακαλεῖτε δεῦρο ᾠδαῖσι τὸν ξυνέμπορον τῆσδε τῆς χορείας. Ἴακχε πολυτίμητε μέλος ἑορτῆς ἥδιστον εὑρών, δεῦρο συνακολούθει πρὸς τὴν θεὸν καὶ*

magis atque magis crevit, ut posterioribus temporibus primum locum obtinere videretur. sed vel altero p. Chr. n. saeculo magistratus non tam Iacchum quam symbola sacra deduci sciebant[59]).

5. *Ἐλευσίνια.*

denique ipsa Eleusine, veri similiter vicesimo primo Boedromionis die[60]), pompa ducebatur, qua deis magnis, postea etiam Iaccho, *τριττόαν βόαρχον* et aliis numinibus hostias minores (capras) offerebant[61]). praeterea maius boum sacrificium[62]) et canephoros[63]) fortasse saeculo sexto, certe quinto attribuendas novimus[64]). quae duo hostiarum agmina simul ducta esse e pompae Panathenaicae similitudine concludendum est[65]). huius igitur formae pompa videtur fuisse: canephori in agminis capite procedebant, deinde bos cum ovibus duabus et hostiae minores, denique boves multae, quas civitas Atheniensis offerebat, postea etiam boves ab ephebis oblatae ducebantur; quas sacerdotes et magistratus Eleusinii et Athenienses, denique mystae sequebantur. ita autem pompam ductam esse, ut aliorum numinum, quibus hostias offerebat, sacella singula venerata tandem ante Cereris et Proserpinae aram finiretur, veri simile est.

excursus.
de tempore Eleusiniorum.*

omnia ea quae Mommsenius p. 179 sqq. de Eleusiniis a mysteriis separandis protulit accurate refellere huius loci non est. sed paucis hanc coniecturam stare non posse demonstrare conabor.

δεῖξον ὡς ἄνευ πόνου πολλὴν ὁδὸν περαίνεις. Ἴακχε φιλοχορευτά, συμπρόπεμπέ με. deinde illud *Ἴακχε φιλοχορευτά, συμπρόπεμπέ με* tamquam versus intercalaris bis repetitur. prorsus aliter autem Ceres canitur: *ἄγε νυν ἑτέραν ὕμνων ἰδέαν τὴν καρποφόρον βασίλειαν Δήμητρα θεὰν ἐπικοσμοῦντες ζαθέοις μολπαῖς κελαδεῖτε. Δήμητερ ἁγνῶν ὀργίων ἄνασσα συμπαραστάτει κτλ.*

59) CIA III 5.

60) de tempore Eleusiniorum vide excursum.

61) CIA I 5, cf. excursum; II 465 b v. 8.

62) CIA II 741, cf. excursum.

63) CIA III 916; qui titulus certo huc referendus est, nam in pompa magna quae 19. Boedromionis die Athenis Eleusina ducebatur canephori non erant. de umbellis perperam huc relatis v. Panathenaea not. 151.

64) saeculo quarto sacrificium novimus (CIA II 741 fr. c et d), sed quinto, cum magnum telesterium aedificaretur, antiquam trittoam boarchum solam oblatam esse credi vix potest. quod etiam de Pisistrati temporibus valet.

65) v. s. p. 18 sqq.

* haec omnia scripta sunt antequam ea, quae Robertus de Mommsenii libro egregie disputavit, in lucem prodierunt (Goett. gel. Anz. 161, VII, p. 523 sqq.). factum autem est, ut non ita, ut voluerim, eis, quae ille me docuit, uti possem; quod

ac primum quidem inde, quod in titulo Eleusinio CIA IV[2] 834 b v. 30—50 mysteria et magnorum Eleusiniorum certamina separata sunt, nihil sequitur; nam cum magistratus hoc in titulo rerum diversissimarum rationes reddant, pro rebus, quantum quidem fieri potuit, non pro sollemnibus, quae pauca sunt inter alias res, singula distributa sunt. eodem autem iure, quo Mommsenius Eleusinia separat a mysteriis, quivis in ordine ita haerere possit, ut Eleusinia multo post mysteria celebrata esse ea de causa dicat, quod haec in versu 32., illa in 47. sint. deinde quo veniamus, si titulis hoc modo utimur, uno exemplo allato illustretur. tituli ephebici II 467 versus 9—11 hi sunt: *ἐποιήσαντο δὲ καὶ τὴν ὑπαπάντησιν τοῖς ἱεροῖς ἐν ὅπλοις καὶ προέπεμψαν αὐτὰ καὶ τὸν Ἴακχον ὡσαύτως· ἤραντο δὲ καὶ τοῖς Μυστηρίοις τοὺς βοῦς ἐν Ἐλευσῖνι τῆι θυσίαι καὶ αὐτοὶ ἐβουθύτησαν ἐν τῶι περιβόλωι τοῦ ἱεροῦ.* tum ephebi cursus lampadas pompas omnes rite absolvisse et socios et Romanos salutasse affirmantur. inter cursus autem et lampadas id est, quo commotus scriba totum locum mysteriis adiunxit: *καὶ ἤραντο ταῖς θυσίαις τοὺς βοῦς εὐσχημόνως.* tum haec sequuntur (v. 15—19): *παρήγαγον δὲ καὶ τοῖς Ἐλευσινίοις βοῦς τροφίας δύο καὶ ἔθυσαν, καὶ τοῖς Πειραίοις τῶι Διονύσωι ταῦρον καὶ ἔθυσαν, τοῖς τε Διονυσίοις ἕτερον βοῦν ὅτι κάλλιστον παρήγαγον τῆι πομπῆι ὃν καὶ ἔθυσαν ἐν τῶι ἱερῶι, καὶ ἐπὶ τούτοις ἅπασιν ἐκαλλιέρησαν:* boves, quos ephebi singulis sollemnibus obtulerint, enumerantur; deinde Thesea et Epitaphia, tum Munichia sequuntur. cum autem Munichia extra urbem celebrata sint, commode haec adduntur (v. 22—23): *ἐξῆλθον δὲ καὶ ἐπὶ τὰ φρούρια καὶ τὰ ὅρια τῆς Ἀττικῆς πλεονάκις ἐν ὅπλοις καθὼς ἐπέταττον αὐτοῖς τὰ ψηφίσματα τῆς τε βουλῆς καὶ τοῦ δήμου.* quibus singulae cerimoniae, quae Salamina spectant, adiunguntur, tum haec periodum concludunt (v. 27—32): — — *ἔθυσαν τῶι Διὶ τῶι Τροπαίωι τοῖς τε προηροσίοις ἤραντο τοὺς βοῦς ἐν Ἐλευσῖνι καὶ ἐλειτούργησαν ἐν τῶι ἱερῶι εὐτάκτως. ἀνέθηκαν δὲ καὶ τοῖς μεγάλοις μυστηρίοις φιάλην τῆι τε Δήμητρι καὶ τῆι Κόρηι χαριστήριον ἀπὸ δραχμῶν Στεφανηφόρου ἑκατόν, τάς τε ἄλλας θυσίας τὰς καθηκούσας ἁπάσας ἔθυσαν μετά τε τοῦ κοσμητοῦ καὶ τῶν διδασκάλων τοῖς θεοῖς καὶ τοῖς εὐεργέταις τοῦ δήμου καὶ ἐκαλλιέρησαν ἐμπάσαις.* iam circulus in se revertitur. est autem una quasi parenthesis intermissa inter mysteria et Eleusinia (v. 12—15); sed mysteria et Eleusinia separanda esse Mommsenius iubet. contra multae ac diversissimae res inter Eleusinia et Proerosia intercedunt. sed coniungenda esse Mommsenius arbitratur. sic

hoc loco facile fuisset: nam excursu toto eiecto Roberti disputationem citare potuissem. tamen nihil mutare malui; non inutile enim fore duxi, si etiam *παῖδα μύστην* pro viribus ea efficere conatum esse monstrem, quae hierophanta manu valida perfecit.

si mysteria ipsa, quae et in versu 10. et in 29. occurrunt, tractabimus, quid cum sollemnibus miserrimis faciemus? certo simul et constringemus et dilacerabimus.

sed ultimum Mommsenii argumentum, quo Eleusinia ante mysteria celebrata esse demonstrare conatur, nondum examinavimus: titulum Eleusinium dico veterem CIA I 5 quem a versu altero exscribo: — — *ν τοὺς ἱεροποιοὺς Ἐλευσινίων καὶ* — — 3. — — *ῆι, Ἑρμῆι ἐναγωνίωι, Χάρισιν αἶγα* — — 4. — — *ν Ἀρτέμιδι αἶγα, Τελεσιδρόμωι, Τρι[πτολέμωι* — — 5. — — *Ἰάκ]χωι, Θεοῖν τριττόαν βόαρχον ἐν τῆι ἑορ[τῆι.* ubi Mommsenius ea de causa, quod Mercurius *ἐναγώνιος* ante matrem et filiam nominetur, versu altero *μυστηρίων* supplendum et duo sollemnia discernenda esse putat (p. 197). pluribus igitur numinibus eisdem sollemnibus immolari non potuisse censet. sed qui fuerunt illi *ἄλλοι θεοὶ οἷς πάτριον ἦν* Halois sacra facere? (CIA IV$_2$ 614 b v. 9, cf. 385 d v. 14 et 477 c v. 8.) — sed satis in istis argumentis refellendis morati sumus. iam id quod non sine aliqua veri specie affertur examinemus. in titulo enim II 741 qui pecuniarum quae ex hostiarum pellibus redierunt rationes continet haec sunt:

fr. c v. 6—14.

[*ἐκ τῆς*] *θυσίας τῆι Εἰρήνηι* [*παρὰ*]
στρατηγῶν ΡΗΗΔΠ[Ι]ΙΙ.
[*ἐκ Πα*]*ναθηναίων παρὰ ἱερο*[*ποιῶν*].
[*ἐξ Ἐλε*]*υσινίων παρὰ ἱεροποιῶ*[*ν* — —].
[*ἐκ τῆς θ*]*υσί*[*α*]*ς τῆι Δημοκρατία*[*ι παρὰ*]
[*στρατη*]*γῶν* [Η]ΗΗΗΔΗΗΗΙΙΙ
[*ἐξ Ἀσκλ*]*ηπιείων παρὰ βοωνῶν* Χ.
[*ἐχ Θησ*]*έων παρὰ*
[*ἱεροποιῶ*]*ν* ΧΗΡΔΔΔΙΙΙ.

fr. d v. 1—12.

[*ἐξ Ἐλευσινίων παρὰ*]
ἱεροπ[*οιῶν* — —]
ἐκ τῆς θ[*υσίας τῆι Δημοκρατίαι παρὰ*]
στρατηγ[*ῶν* — —]
ἐξ Ἀκληπ[*ιείων παρὰ* — — — — —]
ἐχ Θησέων [*παρὰ* — — — — —]
ἐγ Διονυσίω[*ν τῶν ἐμ Πειραιεῖ παρὰ*]
στρατηγῶν — —
ἐγ Διονυσίω[*ν τῶν ἐπὶ Ληναίωι παρὰ*]
στρατηγῶν — —.
[*ἐ*]*κ* [*τ*]*ῆς θυσία*[*ς τῆι Ἀγαθῆι Τύχηι* —]
[. . . . .] *στρατ*[*ηγῶν* — —]

quo in titulo cum sollemnium ordo nusquam mutatus esse videatur (videatur; nam complurium sacrificiorum dies ignoramus) Eleusinia ante Asclepiea celebrata esse concludi potest. sed cum multis de causis hoc factum esse veri simile non sit, num aliquo modo, qui factum sit, ut ordo mutaretur, intellegi possit videamus. atque primum menses permixtos non esse statuendum est; nam quamquam ne id quidem demonstrari potest, tamen quae ab hac propositione deflectit coniectura probabilis non erit. sed unum omnes, qui titulum diligenter perlegent, videbunt, saepius duas pecuniae summas, quae ab iisdem magistratibus coactae sunt, ita coniunctas esse inter se, ut nulla alia intermissa sit (fr. a v. 12—14, 30—33; fr. b v. 6—9, 17—19; fr. c v. 8—9; fr. d v. 7—12 (tres summae). quod in pecuniarum catalogo fortuito factum esse haud facile credemus. si igitur sacrificii, quod Athenienses Democratiae faciebant, dies a medio mense non nimis aberat (fortasse plenilunio fiebat), Eleusinia illa de causa cum Panathenaeis coniuncta esse puto, praesertim cum numquam artius cum Asclepieis cohaererent. immo Asclepiea autumnalia ab Eleusiniis non magis pendebant quam verna a Dionysiis.

restat ut id, quod scriptores consueverunt, cum eodem Eleusiniorum nomine et mysteria et pompam et certamina significarent, etiam in titulis occurrere fateamur; nam qui tituli IV 2 385 d versus 22—25 leget, Mommsenium (p. 180, 2) illos perperam interpretatum esse videbit.

denuo ergo in eo sumus, quo iam Meursius primo impetu pervenit, scilicet ut magna Eleusinia penteteridem, certaminum trieteridem, pompam annuam eis diebus quibus noctu mysteria fiebant celebrata esse censeamus. quare ea, quae satis saepe repetita sunt, breviter tantum moneo, totos dies dico, quos aliquo modo degi necesse erat, et histriones, qui hac de causa postea conducebantur (CIA II 628 de quo recte Mommsenius p. 240 sq.).

inter eos autem dies, qui pompae patent, vicesimus primus maxime convenit.

ΠΥΑΝΟΨΙΑ ΟΣΧΟΦΟΡΙΑ ΘΗΣΕΙΑ ΕΠΙΤΑΦΙΑ.

quatuor sollemnia, quibus totidem pompae ducebantur, quamquam omnia inter se coniuncta esse viri docti iam dudum perspexerunt, tamen ita tractare, ut ordinem nusquam interrumpi denuo eluceat, in animo est. nam quamquam de Pyanopsiorum et Oschophoriorum natura Mannhardtius pulcre ut solebat disseruit[1]), ritus coniecturis (quas etiam Mannhardtius secutus est) vexatos[2]) iam Preller[3]) et nuper Stengelius breviter recte enumeravit[4]) et Robertus inter alia etiam ea proposuit, quae infra demonstrare conatus sum[5]), de Epitaphiis cum Theseis coniungendis satis multa atque gravia Mommsenius protulit[6]), Epitaphiorum formam certis lineis Wilamowitzius adumbravit[7]), tamen, ut omnia iam recte intellecta sint, multum abest. quare, quae mihi quidem ultra concludi posse visa sint, protuli, quamquam non omnia certa esse probe scio. sed singulis partibus praeparatis aedificium exstruendum esse duxi. —

Pyanopsia Apollini septimo Pyanopsionis die ita celebrabantur, ut iresiona, quam puer patrimus et matrimus portabat, in pompa ad Apollinis sacrum — fortasse ad Pythium antiquissimum, quod in arcis clivo septentrionali situm videtur fuisse[9]) — duceretur; ubi puer iresionam ante fani aditum in arcis saxo adfigebat[10]). praeterea lectisternium *τὰ πυανόψια* Apollini offerebatur[11]). quas cerimonias rusticas absolvere iuvat, antequam mortuorum sacrificia, quae eodem die facta sunt, tangimus. nam eodem tempore, veri similiter ipso septimo Pyanopsionis die, etiam

---

[1]) Antike Wald- u. Feldkulte p. 214 sqq., 254 sqq.

[2]) Schoemann Griech. Alterth. II p. 465, quem nunc etiam Mommsenius sequitur (Feste p. 285).

[3]) Griech. Mythol.[3] I p. 171.

[4]) Handb. p. 202.

[5]) Goett. gel. Anz. 161, VII p. 529.

[6]) Feste p. 288 sqq.

[7]) Griech. Trag. I p. 193 sqq.

[8]) *Ἀπολλώνιος (ὁ Ἀχαρνεύς) καὶ σχεδὸν πάντες οἱ περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑορτῶν γεγραφότες.* Harp. *Πυανόψια.*

[9]) Doerpfeld Ath. Mitt. XX p. 198 sq., cf. Thargelia in fine.

[10]) Harp. l. c., Suid. Et. M. *εἰρεσιώνη,* Eustath. p. 1283, 6 sq., schol. Arist. Equit. 729, cf. Plut. 1054 (= Suid.). Apollini, non Soli et Horis iresionam ductam esse ex Atthide videmus. quod in excursu, quem capiti quod est de Thargeliis addidi, demonstrare conatus sum.

[11]) Harp. l. c. *πύανα γὰρ ἕψουσιν ἐν αὐτοῖς καὶ ἡ εἰρεσιώνη ἄγεται.* quo testimonio, quod e fonte egregio fluxit, chytras non in pompa portatas, sed lectisternium institutum esse certum est. quod idem etiam e posterioribus demonstrari potest, velut e Plutarchi verbis, quae sunt in vita Thesei c. XXII; separatim enim ille lectisternium et iresionam enumerat. quomodo autem de pompa illa, quam Porphyrius describit de abstin. II 7, iudicandum sit, in excursu citato exposui.

Oschophoria celebrata esse constat[12]): simul enim et totius messis et vindemiae gratiam agricolae referebant.

Oschophoriorum autem cerimoniae, quantum quidem non sine aliqua veri specie restitui possunt, haec fere fuerunt: pueri patrimi et matrimi e singulis tribubus electi, qui vites cum uvis tenebant, a Lenaeo[13]) ad Oschophorium[14]) locum quendam, qui prope Minervae Sciradis sacrum in Phalero situs erat, cursum instituebant[15]); ubi qui vicerant *πενταπλόαν* certaminis praemium potabant[16]). initio autem via pompica usi per portam Itoniam in Phalerum videntur cucurrisse[17]).

qua eadem via aut antea aut postea aut simul pompa sacra pro-

---

[12]) eodem actio Theseo, quod omnes cerimonias a Pyanopsiis usque ad Epitaphia arripuisse infra videbimus, Oschophoria declarantur (Plut. Thes. XXII—XXIII e Demonis Atthide, Philoch. et Ister apud Harp. *ὀσχοφόροι*), item atque Pyanopsia messis gratiam referunt, eosdem cibos e frugibus coctos, quae Pyanopsiis edebantur, dipnophori in Oschophoriorum pompa portabant (v. i.). cum autem aut 7. (Plut. Thes. XXII) aut 8. (Plut. Thes. XXIII) Pyanopsionis die Theseus rediisse diceretur, Oschophoria ante diem septimum celebrata esse veri simile omnino non est. sed ne octavo quidem die sollemnibus rusticis celebrandis tempus fuisse infra videbimus (cf. not. 49): septimo igitur Oschophoria tribuenda sunt.

[13]) cum Oschophoria Bacchi Ionici fuerint (cf. puerorum vestes Ionicas apud Procl., Phot. Bibl. cod. 239, lex. Seguer. V. Bekker p. 318. *ὠσχοφόρια*, cf. Preller-Robert I p. 207) a Lenaeo *ἐν λίμναις* (v. i. Lenaea n. 10), non ab Eleutherei sacro (Mommsen p. 283) cursum et pompam profectam esse sequitur.

[14]) Hes. *ὠσχοφόριον*.

[15]) schol. Nicand. Alexiph. 109, Procl. l. c., Athen. XI 495 f. quod Athenaeus primum dicit *πενταπλόα· μνημονεύει αὐτῆς Φιλόχορος ἐν β΄ Ἀτθίδος* scholiastae et Procli testimonia confirmat, cum ex Harpocratione *ὀσχοφόροι* Philochorum Oschophoria in libro altero tractasse sciamus (quod traditur *Φιλόχορος ἐν τῆι ιβ΄* Boeckhius emendavit). sed misere corrupta sunt quae sequuntur ex Aristodemi *περὶ Πινδάρου* libro tertio (e Philochoro Aristodemum hausisse Robertus putat Herm. XX p. 356, 2). sed quomodo sententia emendanda sit (quomodo enim verba restituas pro hac quaestione exigui momenti est) dubitari non potest, cum primum *Ἀθήναζε*, deinde a Bacchi fano ad Minervae Sciradis sacrum pueros cursum instituere professus Aristodemus sibi ipsi contradicat. nam Aristodemum usque ad finem exscriptum esse inde apparet, quod nisi in fine ea, cuius gratia Athenaeus illum exscripsit, *πενταπλόα* non commemoratur. quod autem Athenaeus initio oratione obliqua, deinde recta utitur non offendit; talia enim saepe occurrunt (velut apud Diodorum, quem Bethius tractavit) neque ullo verbo Athenaeus, cui sola *πενταπλόα* cordi est, Aristodemo se obloqui significat. item *τοῖς Σκίροις* e Minerva Scirade aliquo modo corruptum aut prave intellectum est, cf. Robertum l. c. p. 357. praeterea Nicandri scholiastae testimonium Athenaeum redarguit

[16]) Athen. l. c., Procl. l. c. puerorum numerus quamquam decem fuisse veri simile est, tamen certo definiri nequit. binos autem pueros e singulis tribubus electos esse e Procli verbo *πρότερος* non sequitur (*καὶ τούτων ὁ πρότερος ἐγεύετο κτλ.*). aliter Robertus iudicat Goett. gel. Anz. 161, VII p. 529.

[17]) Ath. Mitt. XIX tab. XIV, Atl. v. Ath. t. II.

cedebat[18]). quam duo oschophori pueri nobiles patrimi et matrimi ducebant, qui vestibus Ionicis induti vites cum uvis portabant[19]). quos puerorum chorus sequebatur[20]); deinde dipnophori feminae cibos e frugibus coctos ita portabant, ut chytras in capite ponerent[21]), et fortasse praeco caduceo coronato insignis pompam antecedebat[22]). vicissim autem chorus carmina oschophorica canebat[23]) et dipnophori pueris fabulas narrabant[24]). qua pompa in Oschophorio finita pueri nudi saltationem Bacchicam exercebant[25]). tandem omnes comissatione instituta Athenas revertebantur. ii autem, qui cursu vicerant, cum duobus illis oschophoris inter comissantes primum locum obtinebant[26]).

---

[18]) Procl. l. c., Hes. *ὠσχοφόρια*, Phot. *ὠσχοφορεῖν*, lex. Seguer. V. Bekker p. 318 *ὠσχοφόρια*. quos locos omnes ab Atthide pendere ea de causa puto, quod partim cum Plutarcho (Thes. XXII — XXIII), partim cum Istro (Harp. l. c.) conveniunt (*β' παῖδες εὐγενεῖς καταλέγονται*). ut igitur Schoemanni coniectura remota id, quod illa testimonia tradunt, factum esse putare possimus, etiam Plutarchi narrationem accurate examinatam cum illis convenire demonstrandum est. quod in excursu feci.

[19]) Harp. *ὀσχοφόροι*, cf. Phot. Hes. Phot. lex. Seguer. V. (Bekker p. 285 et 318) qui omnes duos illos oschophoros Ionice vestitos, non pueros certantes respiciunt. (Photii et lexici Seguerìani prima glossa eadem est; cuius verba in lexico Seguer. melius servata sunt.)

[20]) Procl. l. c.; ne horum quidem numerus definiri potest, nam neque quatuordecim fuisse ex aetio neque septem e Soteriorum Delphicorum similitudine sequitur, cf. choros tragicos, velut Aeschyli et Euripidis Supplices et Septem adversus Thebas.

[21]) Plut. Thes. XXIII, Hyperid. *κατὰ Δημέου* apud Harp. s. v. unde Suidas; Hes. s. v., Philochor. in lex. Seguer. V. Bekker p. 239. idem, quod Hyperides sciebat, in Atthide fuisse e Plutarcho videbimus. certo igitur unus ex eis, per quos Philochori verba ad lexici Seguerìani glossam rhetoricam pervenerunt, per errorem pueros cibos portavisse dixerat. fortasse oschophoros cum dipnophoris permiscuit. qui autem factum sit, ut Wellmannus in libro qui inscribitur de Istro Callimachio p. 29. Plutarchum dipnophoros feminas fuisse fingere dicat, parum intellego; nam idem Hyperidem, qui stat a Plutarchi partibus, citat.

[22]) hoc ex aetio quamquam non dicitur fortasse concludi potest; nam cum praeco libationi in Oschophorio factae certo adesset, eum cum pompa venisse putabimus. cf. Francogallorum similitudinem, Mannhardt p. 254.

[23]) cf. Pallat de fabula Ariadnea p. 55.

[24]) Procl. l. c., Plut. l. c.

[25]) Athen. IV p. 631 b; num hae saltationes aliquo modo cum Thesei Ariadnaeque cohaerebant? cf. Pallat l. c. p. 2 sqq.

[26]) Athen. IX p. 495 f. *ὁ νικήσας κωμάζει μετὰ χοροῦ*, Plut. Thes. XXII *οἱ δὲ σὺν κλαυθμῶι καὶ θορύβωι σπεύδοντες ἀνέβαινον εἰς τὴν πόλιν κτλ.* locum integrum conferas velim (v. excursum). omnes simul rediisse veri simillimum esset, etiamsi nullum testimonium afferri posset. quid autem sollemnibus Bacchicis magis convenit quam comissatio? quae cum cerimonia sacra in pompae et cursus modum non esset, cur cum aetio Theseo diligentius coniuncta non sit, intellegimus. quare non offendit, quod iter illud celere, quo Theseus in urbem revertitur, in aetio ante Thesei pompam est, quamquam comissatio post Oschophoriorum pompam fiebat. accedit quod sacrificium cum libatione et cum exclamationibus *ἐλελεῦ ἰοὺ ἰού*, quod in

cuius et pompae et certaminis naturam Mannhardtius collatis et Graecorum[27]) et barbarorum ritibus praeclare ita illustravit, ut antiquas vindemiae cerimonias cognoscamus[28]), sed unum neque tamen leve explanatione adhuc caret; cur enim ad Minervae Sciradis sacrum et cursus et pompa ducta sit, parum intellegitur. nam quod viri docti coniecerunt sive olei gratiam referri sive vites olivis maritari nullo nititur testimonio. immo inter aliarum frugum etiam olei gratiam iresiona referebat neque Athenis vites olivis maritatas esse quisquam demonstrabit. quomodo autem mihi quidem iudicandum esse videatur, supra, cum de Oschophorio loco quodam prope Minervae Sciradis sacrum sito verba facerem, significavi: fortuito enim Oschophorium Minervae fano vicinum erat; cum autem Bacchi locus sacer templo careret, Minervae templum loci signum erat. quare, ut pompa ad illud duci videretur, factum est[29]). cum igitur Oschophorium locum Bacchi sacrum et pompam et pueros cursu adiisse certum sit, quid ille locus fuerit, nisi per coniecturam dici nequit. quam propono: in Oschophorio, ut in ipso Phaleri litore sito, Theseus redux sacris factis vota solvit; Bacchum igitur ipsum, cum nave advectus vitem afferret, Athenarum fines hoc loco primum intrasse agricolae Athenienses videntur putavisse[30]). unde vitibus ad hunc locum sacrum portatis et

Oschophorio fiebat, cum item post pompam instituerretur, tamen item in aetio ante pompam est: separata enim inter se sacrificium et pompa erant neque aetia secundum artis dialecticae leges coniuncta desiderabant.

[27]) *σταφυλοδρόμοι* qui Carneis currebant, Hes. s. v., lex. Seguer. V. Bekker p. 303, Mannhardt p. 254. quae cerimonia rustica vetus certo non post annum 509. instituta est (Stengel p. 202); antea enim e quatuor tribubus antiquis pueros electos esse putandum est.

[28]) dipnophoros, quas Mannhardtius neglexit, eadem *πύανα*, quae lectisternio coquebantur, partasse addendum est.

[29]) Minervae Sciradis sollemnia Oschophoria fuisse is putaverat, a quo pendet lexici Seguer. V. glossa quae est apud Bekkerum p. 318 et Suidae glossa *ὠσχοφόρια· Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἑορτή.* quod cum in Atthide, e qua glossae omnes fluxerunt, non fuerit, ea de causa per errorem scribi poterat, quod apud omnes pompam ad huius deae sacrum ductam esse ille legit. praeterea aetium Theseum, quod sui muneris erat, fecerat: nam pueros (et puellas) Minotauro mittendos ante exitum in illo sacro inclusos esse Hyperides (Harp. *δειπνοφόροι*) et Philochorus (lex. Seguer. V p. 239 *δειπνοφόροι*) dicunt. deinde Minervam et Bacchum Theseo in Creta adstitisse Proclus tradit. contra Plutarchus consulto Minervam ut ab Oschophoriis, ita a Thesei reditu alienam omittere videtur (cap. XXII Thesea '*Φαληροῖ*' sacrificasse dicit, cap. XXIII cum de dipnophoris agat cautior et parum accuratus est: *ἐπεφοίτων γὰρ αὐτοῖς ὄψα καὶ σιτία κομίζουσαι· καὶ μῦθοι λέγονται διὰ τὸ κἀκείνας εὐθυμίας ἕνεκεν καὶ παρηγορίας μύθους διεξιέναι τοῖς παισί.*) paulo antea autem Baccho et Ariadnae gratiam referri dixerat.

[30]) ut Apollo Prasias et Marathona, ita Bacchus in Tetrapolin (Icariam) advenit; sed Delium non solum Marathone, sed etiam in Phalero erat atque fieri non potuit, quin Athenienses etiam Bacchum nave advectum in Phalerum advenisse putarent.

libationibus atque puerorum nudorum saltatione hoc loco institutis Athenienses vindemiae gratiam referebant. qui autem factum sit, ut aetium Theseum has cerimonias omnes arriperet, infra demonstrabitur.

sed praeter simplices ritus rusticos multa sacrificia feralia circa septimum Pyanopsionis diem fiebant, e quibus unum hoc die ipso factum esse traditum[31]), alia veri simile est. omnia autem cum Theseo aliquo modo coniuncta sunt, aetiis variis excogitatis.

ac primum quidem prope Oschophorium apud Minervae Sciradis templum multae heroum et 'deorum ignotorum' arae erant, partim cum navigatione coniunctae[32]). cum autem heroa Phalerum et *κατὰ πρύμναν* heroa[33]) in portu vetere cultos esse facile intellegamus, gubernatores illi Nausithous et Phaeax, quos Scirus Theseo dedisse dicebatur, graviores videntur esse; nam illis sollemnia Cybernesia instituisse Theseus ita traditur, ut illa septimo Pyanopsionis die celebrata esse eluceat[34]). Phaeacum autem nomina cum omnino non cohaereant cum fabula Thesea, antiquiora esse puto. atqui Phaeaces mortuorum nautae erant: ergo antiquitus eis, qui mortuos ad inferorum regnum navibus vehebant, Cybernesia celebrata esse conicio[35]); nam etiam in urbe hoc die mortuis sacrificia offerebantur. atque primum Conidam, cui aries tamquam *ἐνάγισμα* septimo Pyanopsionis die immolabatur[36]), heroa antiquiorem, cuius tumulus fortasse in Thesei sacro situs erat, fuisse e Conidarum gente veri simile est. tum Aegeo Neptuni Ionici propinquo et tribus Aegeidis heroi eponymo sacrificia feralia facta esse ex aetio Theseo concludi potest[37]).

deinde in Amazonum tumulis vetustissimis prope portam Piraicam

---

[31]) Conidae *ἐναγίσματα* Plut. Th. IV.

[32]) Philochor. apud Plut. Thes. XVII. Pausan. I 1, 4, cf. Robertum Herm. XX p. 355 sq.

[33]) Callimach. aet. lib. IV, Schneider fr. 33 b, cf. Clem. Alex. Protr. p. 35. Pott cum scholio.

[34]) Philoch. l. c.

[35]) eis temporibus quibus Athenienses maris omnino imperiti erant (Philoch. l. c.), Salamis eis fortasse mortuorum insula erat: Salaminii igitur mortuorum erant nautae.

[36]) Plut. Thes. IV, Hes. *Κοννίδαι*, Toepffer Att. Gen. p. 310, cf. p. 172, 1.

[37]) Plut. Thes. XXII et XXIII, Paus. I 22, 5, Harp. *Αἰγεῖον* et *Αἰγεῖδαι*, cf. Suid. et lex. Seguer. VI. Bekker p. 354, Toepffer Att. Gen. p. 251 sq. sed Odofredi Muelleri coniectura Plut. XXIII *ἐξηιρέθη δὲ καὶ τέμενος Αἰγεῖ* (*αὐτῷ* codd.) quam Toepffer sustinuit, contra Aristotelis verba *Ἀθ. πολ.* XV (cf. Harp. *Θησεῖον*) stare non iam potest: vel sexto enim saeculo magnum Thesei *τέμενος* exstitisse videmus. sed Aegei heroum Athenis fuisse Pausanias et Harpocratio docent. Thesei igitur, non Aegei sacrificia Phytalidas, qui iam adulescentem, cum primum adveniret, expiaverant, fecisse statuendum est. quod coniectura felicissima illustravit de Wilamowitz Arist. u. Ath. I p. 270, 21.

et certo etiam in Hippolytae sepulcro apud Terrae Olympiae sacrum immolabatur[38]). cum autem tumuli antiquissimi, vetus etiam Amazonum fabula esset[39]), haec quoque sacrificia temporibus antiquis tribuenda sunt. gravissimum autem est, quod 'Hippolytae' ille tumulus, ubi *ἐναγίσματα* fiebant[40]), prope Terrae Olympiae fanum erat: nam illo loco, ubi Deucalionis inundatio in voragine disparuisse dicebatur, Anthesteriorum cerimoniae ferales Chytri celebrabantur.

e quibus omnibus comparatis inter se Athenienses Pyanopsione, cum messis ultimae gratiam referrent et segetem terrae committerent[41]), iam hieme imminente mortuorum ita memores fuisse, ut Anthesteriis cum vere etiam mortuos redire putabant, concludendum est. sed cum hieme mortui non veniebant; immo eorum, qui mortuos ad inferorum sedes vehebant, sollemnia celebrabantur. nam toti naturae hiems ita mortem, ut vitam ver ferebat[42]).

iam Thesea aggredienda sunt, quae ita, ut a temporibus antiquis ordiamur, tractare in animo est. ac primum quidem vel saeculo sexto magnum Thesei *τέμενος*, ubi Phytalidae sacra faciebant, Athenis extra urbis veteris muros fuisse scimus[43]). cum autem heros, non deus Theseus esset, eius sacrificia *ἐναγίσματα* erant. e quibus quin principalia item atque postea antiquitus octavo Pyanopsionis die facta sint, non est quod dubitemus[44]), praesertim cum *χοάς*, id est mortuorum libationes, illo die factas esse sciamus; quae certo ad Thesei sollemnia antiquiora referendae sunt[45]): ab initio igitur herois Atheniensis sacrificia feralia eo tempore, quod mortuis sacrum erat, fiebant; ergo cerimoniis illis feralibus antiquis novam aliquando adiunctam esse censebimus. deinde anno 475., cum Thesei reliquiae Athenas transportatae in sacro vetere sepelirentur, Thesea magna instituta sunt[46]). quae quamquam pro saeculi indole et

---

[38]) Plut. Thes. XXVII (*ἥ τε γιγνομένη πάλαι θυσία ταῖς Ἀμαζόσι πρὸ τῶν Θησείων*), cf. Wachsmuth St. Ath. I p. 419, 2.

[39]) quod Toepffer (Pauly-Wissowa s. v., p. 176, 1) Wilamowitzium secutus recte contra Priggium (de Thesei rebus p. 17) monet.

[40]) Hippolytam illo loco sepultam esse nemo dixisset, nisi eodem die, quo in aliis Amazonum tumulis, etiam hoc in sepulcro *ἐναγίσματα* facta essent; quod solum ad rem. ceterum alii non Hippolytam, sed Antiopam illic sepultam esse videntur dixisse.

[41]) Plut. de Isid. et Os. LXIX.

[42]) eodem tempore Thesmophoria celebrabantur; nam cum segete Proserpina ipsa in Orcum descenderat.

[43]) Ar. *Ἀθ. πολ.* XV, Plut. Thes. XXIII, cf. de Wilamowitz Arist. u. Ath. I p. 270, Griech. Trag. I p. 193.

[44]) Plut. Thes. XXXVI.

[45]) schol. Ar. Ach. 961, ubi quamquam *χοαί* Theseo factae et *Χόες* Anthesteriorum dies festus confunduntur, tamen ea de causa, quod certus dies profertur, traditionem veram subesse puto.

[46]) Plut. l. c., cf. de Wilamowitz Gr. Tr. l. c.

pro Thesei gloria inferiarum naturam non iam prae se ferebant, sed magis Thesei reditum e Creta celebrare videbantur, tamen, cum ossa ipsa colerentur, ab aliorum mortuorum cultu non differunt.

quae Thesea nova ab initio ita splendide, ut e titulis posterioribus[47]) elucet, celebrabantur[48]). prima autem cerimonia pompa magna erat, quae octavo Pyanopsionis die mane ducta Theseo sacrificandos boves multos offerebat[49]). cuius forma cum a veteribus non describatur, tamen ex aliarum pomparum, quae saeculo quinto institutae sunt, similitudine per coniecturam restitui potest[50]): canephori igitur hostias multas praecessisse, magistratus et cives maximam partem armati, denique equites secuti videntur esse[51]).

cum Theseis Epitaphia ita coniuncta sunt, ut simul et instituta et celebrata esse videantur[52]); nam earundem inferiarum singulae partes sunt. quibus Epitaphiis semper eos, qui bello occiderant, sepultos esse certum est[53]). quod quoties fiebat, toties magna pompa funebris ita instituebatur, ut undecim arcae cupresseae per Dipylum in Ceramicum veherentur[54]). uniuscuiusque autem tribus ut eadem acies cives vivos,

---

[47]) CIA II 444—450 alteri a. Chr. n. saeculi.

[48]) Arist. Plut. 627, cf. Plut. l. c. *πομπαῖς τε λαμπραῖς ἐδέξαντο καὶ θυσίαις.*

[49]) CIA II 741 A fr. c *ἐχ Θησ]έων παρὰ [ἱεροποιῶ]ν* XHΠΔΔΔ⊢⊢⊢. Oschophoriorum cerimonias hoc die certo factas non esse intellegimus, cf. not. 12.

[50]) Disoteria Bendidea Hephaestia Asclepiea.

[51]) v. s. p. 29 et Dionysia not. 27. cum equitibus fortasse currus pompam sequebantur; inter quos *ἐγβάτας* apobatas Panathenaicos imitati occurrunt (CIA II 446 v. 81; 1316, cf. Mommsenium p. 296, 5). sed cum Theseorum pompa ante certamina, non ita ut pompa Panathenaica postea duceretur, qui ex iis, qui certaturi erant, in pompa fuerint, dici nequit. sunt autem inter ea certamina, quae in titulis citatis inveniuntur, etiam *εὐανδρία* et *εὐοπλία*. quibus temporibus et pompa et certamina singulis agonothetis curae erant. ad *περίδειπνον* autem, quod civibus praebebatur, unum e ritibus rusticis videtur transiisse: schol. Aristoph. l. c. *προῖκα ἤσθιον καὶ τὴν ἀθάρην καὶ ἄλλα τινά,* cf. Hes. *Πυανόψια.*

[52]) Mommsen p. 298 sq., de Wilamowitz Arist. u. Ath. I p. 249, Griech. Trag. l. c.

[53]) de Wilamowitz Griech. Trag. p. 195; qui fieri potuerit, ut funera *τῶν ἐν Κεραμεικῶι* non semper a viris doctis cum Epitaphiis coniungerentur, parum intellego. cum autem quicumque hac in quaestione insistet, causas multas facile inveniet, praeter unum Ciceronis testimonium (orat. XLIV 151) nullum affero. qui cum de ea, quae in Menexeno est oratione verba faciat, haec dicit: '— — *qua mos est Athenis laudari in concione eos, qui sint in proeliis interfecti; quae sic probata est, ut eam quotannis, ut scis, illo die recitari necesse sit*'. num eos, qui eodem anno interfecti sint, alio tempore sepultos esse putemus, praesertim cum aestate finita alios interfectos iri suspicari non possent? num Pericles ipse aut nescio quis ex Atheniensibus paucos dies ante illam orationem Epitaphiis alium epitaphium habuit?

[54]) etiam haec igitur pompa partim via pompica utebatur, cf. Panathen. not. 164 et 165.

ita mortuorum ossa eadem arca continebat[55]. deinde eorum, quorum cadavera inventa non erant, arca undecima velata vehebatur. quam pompam magistratus omnes, e quibus polemarcho funus et sacrificia curae erant[56], sequebantur atque e civibus quivis mortuos deducebat, imprimis autem ei, quorum propinqui efferebantur: sic parentes filios, maritos uxores, liberi patres ultimo ave atque vale prosecuti sunt[57]. quis est cui non pompae funebres antiquissimae, quae in vasis geometricis pictae sunt, in mentem veniant? quod enim Solon singulis ademerat, id omnibus, ut pro patria mortuis, democratia summa cum liberalitate dabat: iam tota civitas mortuos ad vitam alteram inter heroas paternos deducebat. deinde mortuis novis sepultis polemarchus omnium sacrificia feralia faciebat; separatim autem Harmodio et Aristogitoni mortuis celeberrimis immolabat[58].

eiusdem naturae Thesei sacrificium erat; sed cum ille non in Ceramico, sed in suo sacro sepultus esset, tamquam totius civitatis *ἥρως κτίστης* etiam sollemnibus propriis splendidius exornatis placabatur.

iam quomodo omnia coniuncta sint, cognoscimus: cum enim temporibus antiquissimis illud tempus, quo messis autumnalis et vindemiae sollemnia celebrabantur, mortuis esset sacrum, factum est, ut etiam nobilissimus heros Theseus postea eodem tempore sacrificia reciperet. deinde, cum anno 475. Thesea et Epitaphia instituta sint, fieri non potuit, quin hoc tempore celebrarentur; atque Epitaphia non solum quia cum Theseis coniuncta erant, huic tempori ferali conveniebant, sed etiam ea de causa, quod Graeci antiquitus bellum cum messe comparabant: *οἱ δ' ὥστ' ἀμητῆρες ἐναντίοι ἀλλήλοισιν ὄγμον ἐλαύνωσιν ἀνδρὸς μάκαρος κατ' ἄρουραν πυρῶν ἢ κριθέων· τὰ δὲ δράγματα ταρφέα πίπτει· ὣς Τρῶες καὶ Ἀχαιοὶ ἐπ' ἀλλήλοισι θορόντες δῄουν*[59]. in Ceramico autem ipso, in monumento eorum, qui anno 438. ad Hellesponti oras pugnantes ceciderunt, hoc incisum est: *οἵδε παρ' Ἑλλήσποντον ἀπώλεσαν ἀγλαὸν ἥβην βαρνάμενοι, σφετέραν δ' ηὐκλείσαμ πατρίδα, ὥστ' ἐχθροὺς στεναχεῖμ πολέμου θέρος ἐκκομίσαντας, αὐτοῖς δ' ἀθάνατον μνῆμ' ἀρετῆς ἔθεσαν*[60]. idem autumnus et bellum et messem finiebat.

sic Pyanopsia Oschophoria Thesea Epitaphia cohaerent inter se;

---

[55]) saepe non ex omnibus tribubus cives cecidisse censendum est. quot autem tribus mortuos sepeliebant, tot arcae vehebantur.

[56]) Arist. *Ἀθ. πολ.* LVIII 1, cf. not. 58.

[57]) Thuc. II 34, cf. Eur. Suppl. 794 sqq., Menex. p. 248 e, 249 c.

[58]) Arist. l. c., cf. de Wilamowitz Ar. u. Ath. I p. 249. certamina saeculo quinto [illegible]m exstitisse e Thucydidis Euripidisque silentio elucet.

[illegible]sq., cf. Eur. Suppl. 717, multa alia.

[illegible]uppl. 446 a, cf. Keil Herm. XX p. 341 sq., de Wilamowitz Herm. [illegible]ilhelm Oesterr. Jahresh. II p. 221, 1.

brevi autem fabula Thesea, qua Theseus octavo Pyanopsionis die e Creta rediisse dicebatur, ita crevit, ut cerimonias rusticas omnes arriperet[61]). quid? quod postea etiam Epitaphia heroum paternorum Atheniensium inferiae, quas Euripides Supplicibus celebravit, in Androgeonis Minois filii honorem institui homines docti sciebant[62]). sollemnia igitur autumnalia omnia celebrabantur *οὐκ ἄνευ γε Θησέως*. —

multo plura verba feci, quam pompae videntur desiderasse. sed nisi iudicio de sollemnibus totis stabilito ne pompae quidem intelleguntur.

excursus.
de pompae oschophoricae via.

testimonia, quae sunt de pompae oschophoricae via, in nota duodevicesima et congessi et ab Atthide omnia pendere dixi. e quibus Plutarchi narratione Schoemannus usus est, ut pompam a Phalero in urbem ductam esse contra reliqua testimonia omnia coniceret. quam coniecturam multis probatam, quam nuper etiam Mommsenius secutus est, quin accuratius refutem, facere non possum.

quem ad finem primum Procli locum exscribo: *ὠσχοφορικὰ δὲ μέλη παρ' Ἀθηναίοις ᾔδετο· τοῦ χοροῦ δὲ δύο νεανίαι κατὰ γυναῖκας ἐστολισμένοι κλῆμα ἀμπέλου κομίζοντες μεστὸν εὐθαλῶν βοτρύων (ἐκάλουν δ' αὐτὸ ὦσχην, ἀφ' οὗ καὶ τοῖς μέλεσιν ἡ ἐπωνυμία) τῆς ἑορτῆς καθηγοῦντο. ἄρξαι δέ φασι Θησέα πρῶτον τοῦ ἔργου. ἐπεὶ γὰρ ἑκούσιος ὑποστὰς τὸν εἰς Κρήτην πλοῦν ἀπήλλαξε τὴν πατρίδα τῆς κατὰ τὸν δασμὸν συμφορᾶς, χαριστήρια ἀποδιδοὺς Ἀθηνᾶι καὶ Διονύσωι, οἵ αὐτῶι κατὰ τὴν νῆσον τὴν Δίαν ἐπεφάνησαν ἔπραξε τοῦτο, δυσὶ νεανίαις ἐσκιατραφημένοις χρησάμενος πρὸς τὴν ἱερουργίαν ὑπηρέταις. ἦν δὲ τοῖς Ἀθηναίοις ἡ παραπομπὴ ἐκ τοῦ Διονυσιακοῦ ἱεροῦ εἰς τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Σκιράδος τέμενος. εἵπετο δὲ τοῖς νεανίαις ὁ χορὸς καὶ ᾖδε τὰ μέλη. ἐξ ἑκάστης δὲ φυλῆς ἔφηβοι διημιλλῶντο πρὸς ἀλλήλους δρόμωι· καὶ τούτων ὁ πρότερος ἐγένετο*

---

[61]) quo factum est, ut simul et septimo et octavo die Theseus rediisse diceretur. redierat autem octavo Pyanopsionis die (Plut. c. XXXVI); nam omnium mensium dies octavi Thesei ita, ut Neptuni patris sacri erant; sic octavo Hecatombaeonis die primum Athenas advenerat (Diodorus periegeta apud Plut. l. c., Plut. c. XII). cum autem cerimoniae rusticae, quae Apollinis sacro die septimo fiebant, cum fabula Thesea coniungerentur, illum iam die septimo rediisse necessarium erat (Plut. c. XXII).

[62]) Melesagoras apud Hes. *ἐπ' Εὐρυγύηι ἀγών*, qui, cum certaminis, quod saeculo quarto institutum est, aetium Theseum desideraretur, heroa veterem parum prudenter attulit. contra melius est quod Callimachus tradit (v. not. 33) heroa *κατὰ πρύμναν* Androgeonem esse. sed sacrificia Androgeoni Epitaphiis certo numquam facta sunt (Mommsen p. 303).

ἐκ τῆς πενταπλῆς λεγομένης φιάλης, ἣ συνεκιρνᾶτο ἐλαίῳ καὶ οἴνῳ καὶ μέλιτι καὶ τυρῷ καὶ ἀλφίτοις. deinde Plutarchi vitae Thesei capita XXII. et XXIII. ipse legas velim.

ac Proclus quidem, cum a carminibus orsus pompam a Bacchi sacro ad Minervae Sciradis fanum in Phalero ductam esse dicat, aetium ita simpliciter enarrat, ut Thesea postquam rediit primam pompam oschophoricam a Bacchi sacro urbano in Phalerum duxisse eluceat. contra Plutarchus, cum in capite XXII. Thesei reditum ita narret, ut olim factum esse persuasum habet, pauca neque tamen levia (quod exclamationes illas *ἐλελεῦ ἰοὺ ἰοὺ* ad libationem restringit) de suae aetatis sollemnibus praefatus, capite XXIII., postquam navis veteris, quae usque ad Demetrii tempora conservata esset, mentionem fecit, sub titulo 'Oschophoria a Theseo instituta' vestium Ionicarum aetium longum sic concludit: 'Theseus redux factus adulescentes ita, ut nunc vites portant, vestitos in pompa duxisse dicitur'. quantum ad vites et aetium profert de gratia Baccho et Ariadnae relata et explanationem partim veram, ipsi autem, qui Thesea sic rediisse credit, prorsus veram, de reditu circa *ὀπώραν* facto.

videndum igitur, quomodo historica illa pars (XXII.) cum heortologa (XXIII.) coniungenda sit. sunt autem haec fere, quae dicuntur in capite XXII.: Theseus redux dum in Phalero sacrificia vota absolvit, praeconem in urbem mittit. ubi cives, qui Aegei mortem queruntur, nuntio felici allato recreati praeconem coronare volunt; sed ille coronis in caduceo suspensis tristis in Phalerum revertitur et sacrificio absoluto quae audierit refert. unde omnes multo clamore lamentationibusque institutis celeriter in urbem proficiscuntur. quibus Plutarchus Oschophoriorum ritus hinc deductos breviter adiungit, caduceum dico coronatum et exclamationem *ἐλελεῦ ἰοὺ ἰοὺ*, quae in libatione fiebat. cum autem in libatione, non in pompa hanc exclamationem fieri dicat, lamentationes illae, quae a Thesei comitibus in reditu institutae sunt, ad pompam referri non possunt. quae sequuntur lectisternii[63]) et iresionae aetia huc non pertinent: pompae igitur oschophoricae aetium in capite XXII. non esse fatebimur. sed in capite XXIII. Plutarchus Thesea Oschophoria instituisse et pompam illam primum duxisse dicit. cum autem dipnophoros matres, quae pueris profecturis cibos apportavissent fabulasque narravissent, imitari dicat, quid tamquam pompae aetium cognoscendum sit, iam clarum est; nam quid matres cum victu et cum fabulis in pompa reditum imitata sibi voluissent? si autem pompa oschophorica eam pompam imitabatur, quam Theseus postquam rediit in discessus memoriam duxerat, cur etiam matres ad-

[63]) Pyanopsia lectisternium fuisse implicite dicit; nam convivium Apollinem omnino non tangeret nisi lectisternio simul instituto: Kein tolleres Versehn kann sein, giebst einem ein Fest und lädst ihn nicht ein.

fuerint elucet. cum igitur non Thesei reditus, sed ea pompa, quam Theseus post reditum instituit, pompae oschophoricae aetium sit, Plutarchum cum reliquis testimoniis omnibus convenire videmus. ergo pompa ab urbe in Phalerum ducebatur. cuius rei testis Atthis est.

ΘΕΣΜΟΦΟΡΙΑ.

Thesmophoriis duae pompae ducebantur. ac primum quidem nono Pyanopsionis die, quem Stenia appellabant[1]), feminae ab urbe ad Coliada promunturium Halimunta proficiscebantur[2]), ubi Cereris sacras saltationes et sacrificia faciebant. cum autem noctu lasciva illa ludicra, quae cultus rustici propria sunt, absolverentur[3]), etiam in pompa item atque undevicesimo Boedromionis die talia facta esse censebimus. sed simulacra in pompa portata[4]) aut hostias ductas esse neque scimus neque veri simile est; nam ea de causa, quod Coliade certae cerimoniae absolvendae erant, Thesmophoriazusae sacerdote et duabus feminis praefectis ducentibus[5]) pompam ab urbe, fortasse a foro profectae[6]), ad Cereris sacrum Halimusium instituebant. facetiis autem obscoenis in itinere prolatis et gaudium movebant et expiabantur.

deinde undecimo Pyanopsionis die, qui *ἄνοδος* vocabatur, rursus ad Thesmophorium urbanum proficiscebantur[7]). a sacro autem Halimusio

---

[1]) Thesmophoriorum dies singulos novimus: schol. Ar. Thesm. 834 et 80, Hes. *ἄνοδος*, Phot. *Θεσμοφορίων ἡμέραι*. quare qui fieri potuerit, ut Mommsenius Chronol. p. 97 sq., Feste p. 312 et Adolfus Schmidt Chron. p. 275 eum sequerentur, qui Aristophanis versum 80. male interpretatus est, miror. ne scholiastae verba *ἀλλ' οὐδὲ ψυχρεύεσθαί τις δύναται λέγων ὅτι τρίτη ἡ τρισκαιδεκαταία, ὡς ἐκταία ἑκατηβόλος σελάνα, ἑκκαιδεκαταία* etiam hodie valeant, timeo. Robertus apud Prellerum I p. 778, 6 rem feliciter explanasse videtur.

[2]) schol. Thesmoph. 80 et 376, Plut. Sol. VIII, Clem. Alex. Protr. II 34 p. 29 Pott, Arnob. V 2; Cereris templum Halimusium Hes. *Κωλιάς*.

[3]) Phot. *Στήνια* ex incerta quadam Eubuli comoedia (Meinke 3, 271; I 629). cf. Hes. *Στήνια* et *στηνιῶσαι*.

[4]) Preller Zeitschr. f. Alt.wiss. 1835 p. 788 II, Dem. et Perseph. p. 343 sq. e Pausaniae verbis III 20, 5—7 simulacra Athenis portata esse colligi omnino nequit. sed alia hoc in loco nisus infra conieci.

[5]) Isaeus IX 19—20, Luc. Tim. XVII, dial. meretr. VII, cf. Mommsenium p. 316, 5.

[6]) hoc feminis Halimunta profecturis magis conveniebat quam Thesmophorium in Pycne situm. cf. Panath. not. 164 et 165.

[7]) schol. Thesm. 80, Hes. *ἄνοδος*; schol. Thesm. 585. quod nonnullos hunc diem *κάθοδον* appellasse dicit; inter quos Photius est (*Θεσμοφορίων ἡμέραι*). rectius et certo publice *ἄνοδος* dicebatur, sed etiam *κάθοδος* (reditus) dici poterat. sed mirum est quod Photius scribit s. v. *Στήνια. ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἐν ᾗι ἐδόκει ἡ ἄνοδος γενέσθαι τῆς Δήμητρος· ἐλοιδοροῦντο δ' ἐν αὐτῆι νυκτὸς αἱ γυναῖκες ἀλλήλαις·*

usque ad id, quod in Pycne situm erat[8]), feminas pompam non interruptam instituisse veri simile est[9]). cuius formam non novimus.

sed redeundum est ad eam pompam, quam feminae Steniis ad Coliada promunturium instituebant. in qua siumlacra ducta non esse dixi; sed aliud atque grave e cultus Lacedaemonii[10]) similitudine sequi videtur: nam cum ex Helo portu vetere Proserpinae simulacrum portaretur in Eleusinium, quod in Taygeto situm erat, deae ipsius, quae per mare advenerat introitus expressus videtur esse. quare eandem atque Oschophoriis coniecturam profero, scilicet ad eum locum, quo dea olim advenerat, pompam ductam, illic saltationes et sacrificia facta esse. sic enim Apollo Marathona Prasias Zostera advenit, sic Ceres ipsa, cum item atque Bacchus per terram vagaretur, Thoricum in hymno Homerico (v. 126). qua de causa deam Coliada quoque advenisse dictam esse puto.

cui coniecturae primo obtutu multa obstare censeas. quae enim Ceres est, quae per mare advenit, cum Athenis ipsis a temporibus antiquissimis Terrae matris colerentur numina *Δημήτηρ Κουροτρόφος* et *Δημήτηρ Χλόη* et olim allata esset a Gephyraeis *Δημήτηρ Ἀχαία*[11]), cum regnarent inde a saeculo septimo deae Eleusiniae? sic qui interrogabit responsum inveniet ipse: restat enim *Δημήτηρ Θεσμοφόρος*, quae neque a numinibus antiquissimis pendet neque a Cerere illa, quae Eleusine Athenas venit. quod ultro apparet quantum ad Cererem Eleusiniam; sed Thesmophorum ne a veteribus quidem deis originem duxisse, i. e. Athenis ipsis ortam non esse, sed iam excultam atque perfectam Athenas venisse, eo confirmatur, quod nihil commune habebat cum Cerere Achaea, quam Thesmophori similem fuisse scimus[12]). atqui Cereris Thesmophori in cultu eae fiebant cerimoniae, quae adventum per mare exprimere videntur; unde igitur venit?

quod nisi ita, ut totam religionis Cerealis historiam breviter adumbremus, exponi nequit; exponi autem posse Wilamowitzio debemus, qui fundamenta nuper eximia arte stabilivit[13]).

οὕτως Εὔβουλος. unus igitur ex iis qui Eubuli verba tradiderunt, id, quod ille de anodo dixerat, perperam ad Proserpinae (Cereris falso scripsit Photius, fortasse e *Κόρης τῆς Δήμητρος* corruptum) ascensum retulit. cum autem autumno Proserpinae descensus conveniret, in paucis verbis tria peccata invenimus.

[8]) Hes. *ἄνοδος*, Ar. Thesm. 657 cum scholio, cf. schol. 585. de Wilamowitz Kydathen p. 161, Curtius Stadtgeschichte p. 29 fig. 6.

[9]) feminae per dies festos omnes domum rediisse non videntur.

[10]) Paus. III 20, 5—7.

[11]) Herod. V 57, Ar. Ach. 708 cum scholio, CIA III 373, de Wilamowitz Kydathen p. 152, 71, Herm. XXI p. 106, 1, Griech. Trag. II p. 222, Toepffer Att. Gen. p. 296 sqq.

[12]) Plut. de Is. et Os. LXIX, cf. Robert Herm. XXII p. 463 (Achaea Delia = Ceres Thesmophorus). *Δημ. Θεσμοφόρος* Thebis, cum per Boeotiam regnaret Ceres Achaea, Paus. IX 6, 5, 16, 5; Pind. fr. 37 Bergk.

[13]) Griech. Trag. II p. 209 sqq.

initio Graeci antiqui Terram matrem diversissimis formis colebant. quae inter numina Achaeorum Ceres eminebat, quae postea per totam Boeotiam colebatur[14]; quae dea ne a *Θέμιδος* quidem munere aliena fuit. in Peloponneso vero Thesmophori ipsius cultum vel antiquissimis temporibus floruisse ex Herodoto discimus[15]. deinde, cum populi septentrionales Graeciam invaderent, et Gephyraei Cererem Achaeam Athenas transtulerunt nec deleverunt religionem veterem Boeoti: sed Thesmophori cultum Peloponnesiacum Dores paene exstinxerunt[16]. contra ei, qui trans mare novam patriam sibi quaesivere Graeci antiqui suam deam secum tulerunt. ubi autem novis in sedibus nationes novae ortae sunt, Cereris quoque cultus denuo florere coepit atque, ut vel antea in Peloponneso Thesmophori imprimis munere functa erat, ita dea in orae Ionicae rupibus non tam *καρποφόρος* quam *θεσμοφόρος* facta est; nam agros servi colebant, sed legum earum, quas Ceres ferebat, maxime opus erat Graecis, qui per vim e patria moribusque paternis eiecti errabant. quo factum est, ut Ceres Thesmophorus nullo modo cum matre Phrygia misceretur, excoleretur atque cresceret in dies religio Cerealis.

denique, cum Ionum manus non minus quam animi vis mundum expugnare inciperet, Cereris cultus a colonis quocumque (imprimis ad Ponti oras) translatus est[17] et cum totius vitae fluminis illius, quod ex Ionia in Graeciam revolutum est, undis primis per insulas[18] in patriam revertit[19]. ubi eae quoque, quae e temporibus antiquis supererant, reliquiae pro condicionibus creverant[20]: sed haec omnia Ionicae religionis novae splendore obscurata sunt. cuius introitum per oram orientalem totam cognoscimus: certo enim Thoricum Coliada Helum advenit, fortasse etiam Pyrasum[21] Antrona[22] Troezena[23] Gythium[24] Taenarum[25]; quantum

[14]) Plut. l. c., cf. titulum Thespiacum CIGS 1867.

[15]) II 171.

[16]) Herod. l. c.

[17]) *Δημ. Θεσμοφόρος* Panticapaei Latyschev Inscr. Pont. II 13, Abderae Diog. Laert. IX 43, Athen. II p. 46 e (Thesmophoria). eundem cultum postea etiam in Asia interiore invenimus (*Δημ. Θεσμοφόρος* Pessinunte CIG 3562).

[18]) *Δημ. Θεσμοφόρος* Pari Herod. VI 134, CIG 2557, unde cultus Thasum venit (Paus. X 28, 3); Deli BCH VI 24 sqq., XIV 494. quo e cultu Archilochi (cuius hymnus in Cererem notissimus est) iambi fluxerunt, cf. de Wilamowitz comm. metr. II p. 31 sq.

[19]) Cybele quoque illis temporibus in Graeciam venit, v. de Wilamowitz Griech. Tr. II p. 214.

[20]) velut Megarae, cf. Preller-Robert I p. 751. *Δημ. Θεσμοφόρος* Paus. I 42, 6.

[21]) B 695 sq., Strab. IX 435. hunc in portum optime situm veterisque cultus Cerealis sedem deam Ionicam venisse consentaneum est.

[22]) hymn. Hom. 492, *Ἀντρῶν ἀγχίαλος* B 697, cf. not. 21.

[23]) *Δημ. Θεσμοφόρος* Paus. II 32, 8.

[24]) Paus. III 21, 8. *Δημ. Ἐλευσινία* Lebas-Foucart 240. Sam Wide Lak. Culte p. 173.

[25]) Paus. III 25, 9; cf. Arionis similitudinem Herod. I 24.

autem veteris, quantum novi in ceteris cultibus Peloponnesiacis et in Euboicis[26]) mixtum sit, accurate diiudicari nequit. neque tamen mirum, quod in Peloponneso Cereris cultus passim receptus est scilicet inde olim in Asiam profectus; quo factum est, ut multis locis Ceres Eleusinia[27]) et Eleusinia fana[28]) inveniantur: nam ab adventu hoc nomen derivatum esse e cultus historia apparet[29]).

---

[26]) Δημ. Θεσμοφόρος Eretriae Plut. Qu. Gr. XXXI.

[27]) in Taygeto (Theris) Paus. III 20, 5, Gythio (v. not. 24), Amyclis Ἐφ. ἀρχ 1892 p. 26, Sam Wide p. 369. Thelpusae Paus. VIII 25, 2—3, Basilide Paus. VIII 29, 5, Athen. XIII p. 609 e, Pheneo Paus. VIII 14—15. v. quam εὐήθως Pausanias duas narrationes refert, quarum altera alteram excludit; nam postquam historiam recentiorem de Nao Triptolemi nepote enarravit, antiquiorem reddit, quae est de Cereris ipsius adventu.

[28]) v. Eleusinium illud in Taygeto Paus. III 20, 7 et Eleusinia sollemnia Laconica CIGA 79, Hes. s. v., Sam Wide p. 174.

[29]) his prolatis valde me deflectere ab opinione vulgari probe scio; quae cum a Toepffero non semel probata sit (Att. Gen. p. 31, 102, 221, 245 sqq., 299, 2), iterum atque iterum testimonia in mente revolvi ne celerius prava concluderem veritus. quare id certo impetrasse mihi videor, ut cardinem in quo quaestio vertitur, cognoscerem; qui paucis Hesychii verbis his expressus est: *ΕΛΕΥΘΩ ἔρχομαι, Ἐλλείθυια.* agitur enim de Cereris Eleusiniae natura, quam neque a Cerere Achaea neque ab Ilithyia differre Toepffer dixit argumentisque haud vilibus illustravit Widius (p. 175 sq.). quae opinio ut linguae rationibus probari videtur, ita in historiam bene quadrat, praesertim cum etiam Eleusinia sacra Ionica declaret (Toepffer p. 247). sed restant testimonia alia atque gravissima ea quidem, quae nullo modo huius opinionis angustiis comprimi possunt; fabulas dico quae sunt de Cereris adventu et ritus, a quibus orsus quaestionem sane difficilem institui. sed ritus aliter licet alius intellegat: fabulae neutiquam everti possunt. nempe ex eis quae sunt de Bacchi adventu fabulis religionem Bacchicam olim in Graeciam advenisse concludimus: quid ergo e fabulis Cerealibus sequitur? atqui Elensine hae fabulae primum locum obtinebant, enarrabantur Phenei in Cereris Eleusiniae sacro neque Therae in Eleusinio eas defuisse e ritibus apparet; accedit Cereris Lacedaemoniae cognomen quod est *Ἐπιπόλα* (Hes. s. v.). quis igitur Cereris Eleusiniae nomen a deae adventu separare audebit? — actum est de opinione eorum, qui Cererem Eleusiniam eandem atque Ilithyiam fuisse censent; sed ne severiores simus caveamus ipsi: nam ut numina illa origine diversa fuisse certum, ita vel a Graecis postea propter nominis atque etiam naturae similitudinem permixta esse probabile est: *ΕΛΕΥΘΩ. ἔρχομαι, Ἐλλείθυια.* — restat ut de Eleusiniis Ionicis (Ephesi Strab. XIV 633, Mileti Herod. IX 97) pauca adiciamus. quae originem fortasse inde duxerunt, quod postea religio Cerealis non ab hominibus, sed a dea ipsa propagata esse videbatur; cum autem Cereris cultus non item ac Bacchi ex Asia atque Thracia venisset, de caelo ipso deam in Graeciam descendisse Graeci putarent necessarium erat: quo factum est, ut etiam in Ionia, unde nova religio Cerealis venit, Ceres Elensinia coleretur. sed haec coniectura stet an cadat, stent an cadant omnia, quae de huius religionis historia exposui: in opinione vetere acquiescere non iam licet, sed meliora proponenda sunt ei, qui mea evertet proposita; quem mox venturum esse spero, nam multum abest, ut illis ipse sim contentus; tamen cum meliora non haberem haec saltem usque ad finem cogitanda esse duxi.

tandem loco temporibusque faventibus ipsa Eleusine, quae adventus oppidum est κατ' ἐξοχήν, ultra exculta atque cum doctrina mystica coniuncta est religio Cerealis: iam dogmata, iam theologia orta est. quae mysteria Eleusinia cum nimis valida essent, quam quae in suo oppido mansissent, paulatim totum mundum sibi subiecerunt neque evanuerunt nisi infimis temporibus. cuius viae triumphalis monumentum primum Eleusinium Atheniense est, quod nomen non iam a deae adventu duxit, sed ab Eleusine religionis mysticae sede. tamen Athenas quoque Cererem Thesmophorum Ionicam per mare advenisse e Steniorum pompa elucet.

ΗΦΑΙΣΤΙΑ.

Hephaestiis, quae ea, quam nos quidem novimus, forma anno 421./0. instituta sunt[1]) et a. d. III. Cal. Maemacterionis quotannis celebrabantur[2]), pompam ductam esse scimus, quae viginti hieropoeis curae erat[3]). qua in pompa et boves multi ducebantur[4]) et metoeci procedebant[5]); praeterea eos, qui vespere lampadedromiam instituturi erant[6]), defuisse haud facile credam. tum cives multos, imprimis vero fabros, qui in Ceramico habitabant, hostias deduxisse vel inde sequitur, quod sacrificio facto epulae magnae instituebantur[7]). hoc autem ordine singulos processisse consentaneum est: boves, viginti hieropoeos cum aliis magistratibus, lampadephoros, cives, metoecos.

permagna igitur pompa erat eiusdemque cuius ceterae pompae omnes, quae saeculo quinto institutae sunt, et formae et naturae — nisi quod pro lustri indole etiam magis quam illae democratiae indulgebat scilicet

---

[1]) CIA IV 1, 35 b (I 46), Wilhelm Anz. d. Wien. Akad. 1897 p. 180 = Jahreshefte des oesterr. arch. Inst. I Beibl. p. 43, idem apud Reischium, Jahreshefte I p. 60. cf. Schoell Ath. Festcommissionen, de Wilamowitz Ar. u. Ath. I p. 229, 87.

[2]) mensem ex Istri Ἀτϑ. συναγ. l. l. servavit Harp. λαμπάς, cf. schol. patm. Demosth. LVII 43, Mommsen p. 339 sq. diem supplevit Wilhelm (apud Reischium l. c.) in tituli I 46 v. 7. Hephaestiorum penteteris non exstitit, de Prott Ath. Mitt. XXIII p. 167, cf. Xen. r. p. Ath. III 4.

[3]) tit. v. 17.

[4]) e tribus bobus, qui metoecis dabantur, satis magnum numerum fuisse apparet (tit. v. 16—17). accedit quod ducenti Athenienses in sacrificio occupati videntur esse (v. 22—23).

[5]) hoc ea de causa certum est, quod illis caro distribuebatur. sed tamquam scaphephori hac in pompa non procedebant: cuius muneris mentionem in titulo interiisse veri simile non est.

[6]) cf. titulum, Xenoph. l. c., Polemonem (περὶ τῶν ἐν τοῖς Προπυλαίοις πινάκων) apud Harp. l. c., schol. Ar. Ran. 131, 1087.

[7]) epulas institutas esse inde sequitur, quod caro cruda metoecis dabatur.

fabrorum deo ducta[8]. cuius viam ignoramus, cum neque a foro eam profectam esse constet[9] neque Vulcani templum aetatem tulisse prorsus certum sit[10]. quae pompa nova antiquioris memoriam exstinxit; sed minorem eam quidem, similem tamen fabros antiquitus Vulcano duxisse probabile est. cuius utrum ritus vetustiores proprii fuerint necne diiudicari nequit.

POMPAEA.

Maemacterione exeunte cives Athenienses cum pelle hostiae, quam singuli Iovi Milichio immolaverant, februa in trivia efferebant; ante quas pompas parvolas Mercurii caducei fortasse ea de causa portabantur, ut dei terrestris signo mala omnia rite ex urbe educerentur[1]. ut enim aestate ineunte Thargeliis, ita Maemacterione, cum hiems immineret, civitatem purgandam et expiandam esse censebant. cuius cerimoniae veteris, quae *πομπαῖα* audiebat, simile in cultu publico non invenimus; sed sacrificium, quod 20. Maemact. die Iovi *γεωργῶι* fiebat[2], huc videtur pertinere. nam hic non minus quam Iuppiter Milichius in terrae gremio regnabat.

haec tradita sunt; quae autem viri docti de Maemacteriis sollemnibus publicis coniecerunt[3], ea omnia neutiquam probo. nihil enim communis Iovi *μαιμάκτηι* tempestatum hibernarum regi[4] cum Iove terrestri, qui segetem recipiebat domosque expiabat.

ΔΙΟΝΥΣΙΑ ΤΑ ΚΑΤ' ΑΓΡΟΥΣ.

Pyanopsia et Oschophoria, quibus frugum messis et vindemiae celebrabantur, Posideone[1] ea sequuntur sollemnia, quae fruges iam certo

---

[8]) cf. Thesea Disoteria Bendidea Asclepiea. Reisch l. c. p. 84 sq., Sauer Theseion p. 237 sq.

[9]) v. tit. v. 4.

[10]) contra ea, quae Sauer l. c. p. 236. exposuit, zophorus metopaeque militant: nam et hunc et illas antiquiores esse ex artis genere apparet.

[1]) Eustath. p. 1235. num caduceus ille olim sterilitatis nomen significaverat?

[2]) CIA III 77, cf. zophorum qui est in sacello *Παναγίας Γοργοεπηκόου* (v. s. p. 9 not. 52).

[3]) sollemnium nomen Meursius e mensis nomine sumpsit (Gr. fer. p. 200), Eustathii locum ad sollemnia publica retulit Welcker Gr. Myth. I p. 209. cf. Preller-Robert I p. 131, 144; Goett. gel. Anz. 161 p. 527.

[4]) Lysimachides ap. Harp. *Μαιμακτηριών*, cf. Suid. s. v.

[1]) Theophr. Char. III., schol. Aesch. I 43, schol. Plat. res publ. p. 475 d, lex. Seguer. V. Bekker p. 235 6. cf. CIA II 578 v. 36: *τῆς δὲ ἐνάτης ἐπὶ δέκα τοῦ Ποσιδεῶν*[ος] *μ(η)ν*[*ὸς χρηματίζε*]*ιν πε*[*ρὶ Διον*]*υσίων*. circa 19. mensis diem igitur Myrrhi[nusii] Dionysia celebrabant, sed certo non ipso 19, quod per errorem scripsit Stengel 206 2.

modo praeparatas monstrant; e quibus vinum tangunt Dionysia, agriculturam Haloa[2]). cum autem Dionysiis, quae omnibus in pagis celebrata sunt[3]), primum gustaretur vinum novum[4]), omnes gaudio et ebrietate exsultabant[5]). sed singulorum pagorum Dionysia aequalia inter se non erant. nam cum plurima formis simplicibus absoluta esse veri simile sit, alia ita creverunt, ut postea sollemnia publica facta sint, velut Piraea[6]). cum autem a saeculo quarto multis locis et tragoediae[7]) et comoediae[8]) actae sint, comissationes veteres cerimonias sacras non iam fuisse, sed magis in iocum et lasciviam versas esse censebimus.

sed ne antiquis quidem temporibus comissationes pompae sacrae erant: immo mane sobrii Baccho pompas ducebant, in quibus cum hostiis fascinum, quod olim deum ipsum advenientem significaverat[9]), portabatur. quod ex Aristophanis parodia elucet[10]): placenta enim cum frugibus deo offertur, canephorus in primo agmine procedit, phallophorus cum fascino sequitur, denique pater, qui carmen canit phallicum portatque chytram[11]), pompam ordinat. quam vernae sequuntur[12]) et pro plebe mater e solario spectat. unde, quomodo pagorum pompae conformatae fuerint, videmus: canephori enim virgines hostias a gentilibus certis[13]) deductas praecedebant, sequebantur phallophori canentes[14]) cum fascino, deinde magistratus a demarcho, qui pompam ordinabat[15]), ducti, denique cives et incolae servi. cuiusmodi pompas simplices omnibus in pagis ductas esse putandum est[16]).

[2]) cf. Mommsenium p. 357 et 359, Stengelium p. 205 sq.

[3]) decem novimus; testimonia collegit Mommsenius p. 350.

[4]) Mommsenius p. 357.

[5]) quod e vetere Ascoliorum certamine iocoso elucet. schol. Ar. Plut. 1129, Pollux IX 121, Cornut. Theol. XXX p. 60 Lang.

[6]) v. i. p. 64, de Eleusiniorum Dionysiis splendidioribus cf. not. 16.

[7]) CIA II 469, 470, 594; IV 2, 574 b; Demosth. XVIII 180, alii.

[8]) CIA II 585; Aeschin. I 157.

[9]) hoc vel ex Aristophanis parodia (v. i.) elucet; nam patris carmen *Φαλῆς ἑταῖρε Βακχίου* dei comitis introitum canit. re vera autem *Φαλῆς* Bacchus ipse est; sic Methymnae *Διόνυσος Φαλλήν* colebatur, v. Paus. X 19, 3 et oraculum quod Oenomaus tradit apud Euseb. praepar. ev. V, 36 p. 233d, cf. Usener Sintfluthsagen p. 162.

[10]) Arist. Acharn. 241 sqq. scholium ad magna Dionysia referendum est, v. illorum notam 5.

[11]) v. 284.

[12]) v. 249.

[13]) Harp. *θεοίνια*; certis gentibus igitur, cum e gentilicio publicus cultus factus esset, sacrificia in pagis singulis curae videntur fuisse, cf. Toepffer Att. Gen. p. 12 et 105. huc fortasse melius quam ad magna Dionysia (Toepffer l. c. p. 207, 1) titulus II 1325 = III 97 referendus est: *Πιστοκράτης καὶ Ἀπολλόδωρος Σατύρου Αὐρίδαι πομποστολήσαντες καὶ ἄρχοντες γενόμενοι τοῦ γένους τοῦ Βακχιαδῶν ἀνέθηκαν.*

[14]) phallophoros, non magistratus carmen phallicum cecinisse non est quod moneam; nam Aristophanis Xanthias canere non poterat.

[15]) cf. Arist. *Ἀθ. πολ.* LIV 8, Mommsenium p. 252 4; v. Panath. not. 127.

[16]) pompam, quam Eleusinii ducebant, testatur titulus IV 2, 477 c cum Koehleri

ΠΕΙΡΑΙΑ.

e Dionysiis agrestibus Piraea creverunt, quae saeculo quarto tamquam sollemnia publica splendide celebrabantur. ac primum quidem magnum boum sacrificium Piraeis factum esse scimus[1]). deinde in Euegori decreto[2]) enumerantur tamquam Piraeorum cerimoniae principales pompa comoediae tragoediae; ubi cum nihil dicatur de sacrificio, hostias in pompa ductas esse apparet. postea autem ephebi taurum proprium ducebant[3]). quos boves canephoros praecessisse ex aliorum Dionysiorum agrestium similitudine concludi potest. phallophoros autem etiam hac in pompa canentes fascinum deduxisse ea de causa certum est, quod in omnibus pompis Bacchicis maioribus occurrunt. cui pompae non minus quam reliquis Piraeorum cerimoniis demarchus praeerat[4]). eisdem igitur sed multo splendidioribus formis quam alia Dionysia agrestia, Piraeorum pompa erat. cum autem, ubi Bacchi sacrum in Piraeo situm fuerit, certo dici nequeat, tamen Wachsmuthius cum Milchhoefero templum prope Zeae portus theatrum fuisse situm recte videtur coniecisse[5]). quod ad sacrum cum pompa duceretur, quam ex Hippodami viis pulcris, quae a foro ordiebantur[6]), secuta sit, parum constat. sed maximam partem una e principalibus usam ad postremum in sinistram retortam per alias vias sacrum adiisse certum est[7]).

---

adnotatione. quae Dionysia splendide exornabantur, cf. Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 71 sq., Foucart Rév. des ét. Gr. VI 336, Stengel p. 207. Gamelione Eleusinios Dionysia celebrasse Mommsenius putat p. 352 2, cum falso quod est in tituli II 834 b (addend. p. 526) versu 46. ἐπιστάταις ἐπιλήναια εἰς Διονύσια θῦσαι ΔΔ tamquam sacrificia epilenaea Dionysiis facta intellegat, quamquam sacrificia Lenaeis Eleusiniis oblata significari e Lenaeorum Atheniensium nomine quod est Διονύσια ἐπιλήναια elucet (cf. de Prott. Ath. Mitteil. XXIII p. 225 3). huc referenda esset, si recte Tsuntas legisset Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 119. v. 44 ἱερὰ ληνός; sed vide CIA IV 2, 834 b. etiam proprios Choas Eleusinios celebrasse e tituli 834 b (II 2 add. p. 527) versu 68. videmus. versu octavo autem Haloa sunt: antea igitur ita, ut in prytania quinta de eis ageretur, Dionysia celebrabantur. sic in prytaniae quintae rationibus legitur ξύλα εἰς Ἁλῶια (IV 2, 834 b I v. 47). cf. titulum Myrrhinusium, not. 1.

1) CIA II A fr. a, c, d.

2) Demosth. XXI 10.

3) CIA II 467—469, 481.

4) Aris[illegible] 49. πολ. LIV 8.

5) S[illegible] II p. 136.

6) [illegible] II 8, VII 11; Harp. (unde Suidas) et Phot. Ἱπποδάμεια, lex. Seguer. [illegible] 8 Ἱπποδάμεια ἀγορά; Hes. Ἱπποδάμου νέμεσις (paulo mutatum ap[illegible] chsmuthium l. c. I p. 561, II p. 132.

7) [illegible] a longa linea directa a foro ad Bacchi sacrum processisse e [illegible]: ἐπιμεληθῆναι τοὺς ἀγορανόμους τῶν ὁδῶν τῶν πλατειῶν [illegible] ῶι Διὶ τῶι Σωτῆρι καὶ τῶι Διονύσωι. utraque igitur pompa [illegible] usa est. nam sic verba intellegenda sunt, nisi cum Mommsenio

ΑΛΩΙΑ.

Haloa item atque Dionysia Posideone celebrabantur[1]). cum autem dies ipse ignotus sit, tamen circa mensis finem fuisse veri simile est[2]). quae sollemnia ut vel nomine naturam rusticam prae se ferunt, ita perspectu difficilia sunt quantum ad cerimonias singulas. iis autem temporibus, quibus nos quidem Haloa paulo accuratius noverimus, cerimonias principales Eleusine factas et arte cum mysteriis coniunctas fuisse certum est[3]). tamen Haloorum natura rustica ita semper est servata, ut in testimoniis omnibus primum locum obtineat[4]); nam exterendi labore finito agricolae in areis iam ad saltandum vacuis sollemnia agrestia celebrabant[5]): ad areas igitur, ubicumque agrorum eae erant, pompas olim deductas esse consentaneum est. Eleusine autem pios Triptolemi aream sacram adiisse censebimus[6]). quibus sollemnibus Athenienses frumenti tributa Eleusina mittebant[7]) omnibusque deis Eleusiniis sacra faciebant[8]).

ita igitur, ut duae deorum quasi familiae Eleusine colebantur[9]), duas

---

lapidem coniectura vili vexare volumus; qui καὶ ἡ τῶι Διονύσωι scribi posse censet, quamquam etiam in versu 31. scriptum est καὶ τῶι Διονύσωι. cum igitur et duas pompas diversas habeamus neque illud ἡ in lapide incisum sit, ipsa via pompae ita coniunguntur, ut via brevior in longiore inclusa sit. quod e Piraei oppidi forma facile intellegimus. nam cum Disoterium in colle meridionali situm fuerit (Lyc. Leocr. XVII, cf. Paus. I 1, 3 Wachsmuth l. c. II p. 141), omnes viae illae directae, quae ferebant a foro in collem versus, pompae patebant. e quibus cum Athenienses ad pompas ducendas una e principalibus certo usi sint, tamen Disoteriorum pompa non continenter a foro ad Disoterium ducebatur, sed Aesculapii sacrum, quod ad sinistram situm erat, adibat (v. i.): pluribus igitur viis utebatur. quam eandem viam principalem Bacchi pompa initio secuta est; ubi autem infra sacrum advenit, in orientem (i. e. in sinistram) retorta per unam aut per plures alias vias ad Bacchi fanum ducta est similiter ac Disoteriorum pompa ad Aesculapii sacrum. utraque pompa igitur eadem via principali utebatur; praeterea utraque una aut pluribus viis aliis: unde tituli verba intellegimus.

1) Philoch. περὶ ἑορτῶν apud Harp. Ἀλῶα.

2) CIA II 834 b II cum Koehleri adnotatione.

3) schol. Luc. dial. meretr. VII 4, quod Rohdius edidit mus. rhen. XXV p. 557 sq.

4) Philoch. l. c. unde fluxit lex. Seguer. VI (Bekker p. 381) Ἀλῶα et lex. Seguer. V (Bekker p. 208) Ἀλῶα; schol. Luc. l. c.; Eustath. p. 772, 27 et Bekker p. 384 lex. Seguer. VI Ἀλῶα, uterque e Pausaniae lexico Attico (v. i.); Et. M. s. v.

5) sic Romae feriae sementivae celebrabantur, Marquardt Roem. Staatsverw. III p. 192.

6) Paus. I 38, 6, CIA IV 2, 834 b II v. 20.

7) Paus. atticista l. c.

8) CIA IV 1, 27 b, IV 2, 614 b v. 9.

9) vetera numina rustica in fani parte septentrionali in rupibus cavis culta (Doerpfeld Ath. Mitt. XI p. 328, ubi postea Plutonis templum erat et Orci aditus patere ferebatur (hymn. Orph. in Plut. XVIII); e cavo Hecate in hymno Homerico

quoque Haloorum partes cognoscimus, mysticam dico et rusticam. nobis autem nisi de parte rustica agendum non est, quia Pausanias atticista Neptuno Halois ἐπὶ τῇι συγκομιδῇι τῶν καρπῶν pompam ductam esse tradit[10]). quae certo originem duxit e vetustissimis cultus Eleusinii temporibus, quibus, antequam mysteria magna instituta sunt, Ceres Eleusinia tamquam terrae et nationis dea cum rustico Neptuno patre[11]) ita coniuncta erat, ut multis locis in Peloponneso[12]): magno deo igitur agresti, Eumolpi patri[13]), a quo mensis nomen duxit, frumenti extriti primitiae offerebantur[14]). qua de pompa adhuc nihil amplius dicere possumus, quam per viam sacram Eleusiniam semper eam esse ductam: nam fani locum ii, qui altero p. Chr. n. saeculo Neptuni et Dianae templum in via sacra aedificaverunt, mutasse non videntur[15]).

ΔΙΟΝΥΣΙΑ ΤΑ ΕΠΙ ΛΗΝΑΙΩΙ.

Lenaeorum quae Gamelione[1]), veri similiter circa diem duodecimum[2]) celebrabantur, cerimoniae principales pompa et certamen scenicum erant[3]). qua in pompa, quae regi et epimeletis curae erat[4]), boves a re publica Atheniensi oblati ducebantur[5]). antiquiorem autem pompae formam hanc

Proserpinae clamorem audit), quibus Periclis temporibus omnes, quos imperium Atticum continebat, Graeci frumenti tributa mittebant (CIA IV 1, 27b), et magna nomina mystica.

10) Eustath. l. c. et lex. Seguer. VI p. 384 Bekker: eodem fonte et lexicographum et Eustathium usum esse inde videmus, quod accuratius lexicographus finem, initium Eustathius exscripsit. cum autem Eustathius Pausaniae lexicon ipsum tenuerit, alio quodam scriptore, qui Pausaniam initio et exscripsisset et citavisset, deinde Philochorum ex aliquo lexico (certo non ex Harpocratione e quo lexici Seguer. VI glossa Bekker p. 381 fluxit), denique tertiam glossam etymologicam exscripsisset, tamquam fonte communi usum esse et Eustathium et lexicographum veri simile non est: immo utrumque Pausaniam ipsum exscripsisse atque iam illum cum Philochoro heortologum et etymologum nobis ignotos contaminasse putandum est.

11) Paus. I 38, 6.

12) de Wilamowitz Homer. Unters. p. 208, Toepffer Att. Gen. p. 28—32, 252 sq.

13) Hiller de Gaertringen de Graec. fab. ad Thrac. pertin. (Berol. 1886) p. 32, testimonia apud Toepfferum l. c. p. 28, 2.

14) quod Starkius coniecit (ad Hermanni Gr. Ant. § 57, 5) et Mommsenius repetiit (p. 364, 4) Neptunum Phytalmium Athenis notum (CIA III 269) hunc Neptunum fuisse neque ullo testimonio nititur neque omnino stare potest: nam Neptunus pater Eleusine colebatur.

15) Rubensohn Mysterienheiligtuemer p. 107 et tab. I = Doerpfeld *Πρακτικά* 1887 t. 1.

1) schol. Hes. op. et d. 506, lex. Seguer. V. Bekker p. 235.

2) cf. Usenerum, Acta S. Thimothei p. 24 sq., de Prott fasti sacri p. 17.

3) Arist. *Ἀθ. πολ.* LVII 1, Euegori decretum Demosth. XXI 10.

4) Aristot. l. c.

5) CIA II 741 A fr. a, b, d.

fere fuisse veri simile est[6]): ad aram pii festinabant hilares, qui haedum hostiam rusticam ducebant; quo in agmine vini novi amphora cum vite benigna[7]), canistrum ficis impletum, omnis denique procreationis symbolum fascinum portabatur. quae pompa quam similis eius sit, quam Dionysiis agrestibus ducebant, comparando facile apparet, sed magis dilucide quam illa haec vetustatem prae se fert. ac primum quidem etiam hac in pompa fascinum portabatur, quod temporibus antiquissimis deum ipsum advenientem significasse supra vidimus[8]). deinde vitem ductam esse magni momenti est, quia haec quoque dei introitum significabat[9]). accedit quod pompa ad Bacchi Ionici antiqui sacrum torcularium *ἐν λίμναις* situm[10]), fortasse per forum et per viam Panathenaicam[11]), ducebatur; vetustissimum igitur cultum Bacchicum Atheniensem hac pompa expressum esse videmus: cum enim post solsticium naturam redivivam hiemem iam superasse sentirent, dei symbolum in pompa ad sacrum torcularium deducebant. sed ubi deorum simulacra lignea facta sunt, ut homines deum ipsum in fascino cognoscere non iam possent, fascinum tamquam procreationis et expiationis symbolum portatum est. qua expiandi vi etiam canistrum ficorum plenum praeditum erat[12]).

sed eius formae simplicis, quam Plutarchus describit, pompam ne sexto quidem, nedum quinto saeculo fuisse censendum est. nam postquam Pisistratus Bacchi Eleutherei sollemnia splendida instituit, etiam Ionici Bacchi pompam amplificatam esse quin concludamus, facere non possumus. accedit quod saeculo quarto non Plutarchi haedum, sed satis multos boves in pompa ductos esse scimus; iam illis igitur temporibus id, quod Plutarchus queritur, factum videtur esse, scilicet ut simplicitate sacra neglecta aurum, vestes splendidae, currus, personae praevalerent. grave autem est, quod currus hac in pompa fuisse dicit: nam bene convenit cum eo, quod aliunde scimus, in Lenaeorum pompa posterioribus

---

[6]) CIA II 482 v. 31, Plut. de cupid. divit. VIII, quem locum recte non ad Dionysia agrestia (Stengel p. 206), sed ad Lenaea referre videntur Michaelis et de Prott (Ath. Mitt. XXIII p. 223), qui pompam 11. Gamelionis die ductam esse censet (*Κλη-ματίς*; p. 224).

[7]) verbis *ἀμφορεὺς οἴνου καὶ κληματίς* Bacchus quem Clitias pinxit accuratissime respondet (Wien. Vorl. 1888 tab. II).

[8]) v. *Διονύσια τὰ κατ' ἀγρούς* not. 9.

[9]) cf. Duemmlerum mus. rhen. XLIII p. 355.

[10]) *τὸ ἀρχαιότατον ἱερὸν τοῦ Διονύσου καὶ ἁγιώτατον ἐν λίμναις* (in Neaer. 76), cf. de Wilamowitz Herm. XXI 617—621, de Prott l. c. p. 213 sq. et 228. Lenaeum *ἐν λίμναις* a Doerpfeldio erutum esse persuasum habeo (Ath. Mitt. XIX p. 147 et 507, XX p. 161 sqq., cf. p. 368 sqq., tab. IV. de Prott l. c. p. 205 sqq.).

[11]) cf. Panathen. not. 164.

[12]) cf. Plynteriorum *παλάθην ἡγητηρίαν*, canephororum et pharmacorum ficos, multa alia.

temporibus *σκώμματα ἐξ ἁμαξῶν* facta esse. quae antiquitus nisi in comissationibus, velut Choibus, non permissa postea etiam in pompam sacram recepta sunt[13]). ut autem multis aliis in pompis, ita in Lenaeorum pompa ephebi suis temporibus hostias proprias ducebant[14]).

ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΑ.

Anthesteriis, quamquam praeter unam Chytrorum pompam veteres nullam testantur, tamen plures ductas esse viri docti coniecerunt. quare, cum accuratius de cerimoniis sacris omnibus agere huius loci non sit, breviter qualis Anthesteriorum et forma et natura fuerit exponam.

Anthesteria ab undecimo usque ad decimum tertium Anthesterionis diem ita celebrata esse, ut primus dies *Πιθοίγια* esset, alter *Χόες*, tertius *Χύτροι* constat[1]). Bacchi autem sollemnia fuisse et scriptores affirmant[2]) et e dierum nominibus atque cerimoniis elucet. nam primo die vini novi dolia aperiebantur, altero regina cum geraeris in fano *ἐν λίμναις* Bacchi sacra faciebat et deo in Bucolio prope prytaneum nubebat[3]); Athenienses autem circa templum Limnaeum Choum convivium habebant. denique etiam tertio die Chytrorum pompa Bacchi sacrum tangebat[4]); sed hoc non religionis gratia, sed ea de causa, quod Bacchi

---

[13]) sic omnia, quae hoc de more tradita sunt, optime conveniunt inter se. haec autem testimonia sunt: schol. Arist. Equit. 547, quod a Demosth. XVIII 122 orsum Lenaeis, Suid. *τὰ ἐκ τῶν ἁμαξῶν σκώμματα*, qui illa primum Choibus, postea etiam Lenaeis facta esse dicit. Choibus igitur, id est temporibus antiquis, cavillationes in comissationibus, non in pompis factas esse cognoscimus: nam nulla pompa, cui talia convenissent, Choibus ducebatur (v. i.). sed Choum comissationes ex Acharnensium fine novimus. accedit Harpocrationis testimonium s. v. *πομπείας καὶ πομπεύειν*, qui haec ludicra 'in Bacchicis pompis' facta esse dicit. e quibus magnorum Dionysiorum pompa, quae Baccho Eleuthereo ducebatur, certo excludenda est. atque ne in illius comissatione quidem haec usitata fuisse pro Suidae verbis accuratis censebimus.

[14]) CIA II 481 v. 31, cf. de Prott l. c. p. 224. — restat ut eam coniecturam refutem, quam protulit Cecil Smith, cum catinum quoddam Boeoticum interpretaretur (Journal of hell. stud. I p. 208 sq., tab. VII). ea enim avis palustris, in qua nisus ille chorum lenaïcum pictum esse putat, in eiusdem figuli scypho, qui Berolini asservatur (Jahrb. X Anz. p. 34, 6 et 7), saepe tamquam ornamentum occurrit. cuius generis aves pictores Boeotici quotidie multas videbant.

[1]) Plut. quaest. conviv. III 7, 1 et VIII 10, 21 Apollodorus *περὶ θεῶν* apud Harp. *Χόες*, cf. schol. Arist. Acharn. 961, Philoch. *περὶ ἑορτῶν* apud Harp. *Χύτροι*, Thucyd. II 15.

[2]) Apollod. l. c., Thuc. l. c., in Neaer. 73—78, cf. de his omnibus satis certis et explanatis, cum testimonia omnia denuo proferre meum non sit, Mommsenium p. 384 sqq., Stengelium p. 208 sq.

[3]) in Neaer. l. c., Arist. *Ἀθ. πολ.* III 5.

[4]) Arist. Ran. 218 sqq.

templum in via pompica situm erat, fortuito igitur factum esse putari potest. tamen hoc constat, Athenienses vere ineunte Bacchi adventum sacris factis et conviviis institutis atque ita celebrasse, ut reginam ipsam deo uxorem darent. simul autem vinum novum ab Anthesteriis in anni sui notam recipiebatur [5]).

sed praeter Bacchicam aliam Anthesteriorum naturam fuisse videmus, cum dies festi omnes ἀποφράδες essent [6]): nam cum natura rediviva mortuos quoque redire putabant. itaque, ut floribus coronati ver salutabant, sic animas et arcere et libationibus atque frugum tributis oblatis placare studebant [7]); ita inter ipsa gaudia et flores religio et horror pius regnabant. haec Atheniensium sollemnia verna vetustissima erant, quibuscum postea Bacchi adventus coniunctus est.

iam ad singula aggrediamur. atque primum Stengelius geraeras reginam ad sacrum Limnaeum in pompa deduxisse dicit [8]). sed nullo testimonio nititur, nam neque is, qui iterum atque iterum omnia ea, quae Phano Neaerae filia tamquam regina fecisset, enumerat, neque ulla e grammaticorum glossis [9]) hanc pompam commemorat. quare, cum fieri potuerit, ut geraerae tamquam canephori [10]) reginam ad sacrum Limnaeum deduxerint, tamen non tradi fatendum est.

deinde quod Mommsenius dicit [11]), Bacchi simulacrum ligneum cum regina a geraeris in pompa nuptiali ad Bucolium ductum esse, sustineri nequit. nam primum Bacchum Ionicum antiquiorem cum Eleuthereo confudit [12]), deinde ne Lenaei quidem Bacchi simulacrum (de quo omnino nihil scimus [13])) in Bucolium ductum esse putari potest: nam hic certo orationis in Neaeram verba simplicia ἐξηδόθη τῶι Διονύσωι γυνή argumentum e silentio praebent [14]).

---

[5]) Arist. Thesm. 745 sqq.

[6]) Eustath. p. 1363 ad Ω 526, Phot. μιαρὰ ἡμέρα, idem brevius apud Hes. μιαραὶ ἡμέραι (uterque e Diogeniano), cf. Suid. ἀποφράδες ἡμέραι.

[7]) in libationem mortuis effusam Choes finiebant (schol. Ar. Ach. 961); v. praeterea Chytrorum pompam.

[8]) Handb. p. 208.

[9]) Aelius Dionysius Et. M. γεραιραί; Hes. s. v.; Poll. VIII 108; sed hi fortasse breviores sunt, quam e quibus argumentum e silentio sumatur.

[10]) in Neaer. 78 ὅταν ἐξορκοῖ τὰς γεραιρὰς ἐν κανοῖς πρὸς τῶι βωμῶι.

[11]) Feste p. 392—395.

[12]) quod quomodo fieri potuerit valde miror, cum nec Bacchi cultus nec theatri Atheniensis historiam recte intellegere possit, qui haec duo numina non discernit inter se. qualia post annum 1886 (de Wilamowitz Herm. XXI p. 621) nemo scribere debebat.

[13]) τὰ ἱερά (in Neaer. 78) Bacchi simulacrum neque solum neque cum aliis rebus sacris significare possunt, cf. Myster. not. 1.

[14]) ex Aristotelis verbis Ἀθ. πολ. III 5 (Hes. Διονύσου γάμος) nihil certi colligi potest.

tum ne id quidem, quod Usener putare videtur[15]), scilicet Bacchi simulacrum in curru navali positum per urbem ad Bucolium esse ductum concedi potest; nam matrimonium sacrum vel antequam pupi lignei facti sunt, exstitisse putandum est. non pupo enim, sed magno deo ipsi regina pro tota civitate nubebat ita, ut monacha Domino despondetur; neque cum pupo ligneo igitur neque cum fascino regina cubuit[16]). quam solam a geraeris parva pompa instituta ad Bucolium deductam esse neque affirmari neque negari potest; sed traditum non est.

aliam autem pompam, qua Bacchi simulacrum in carro navali ductum sit, Anthesteriis Athenis institutam non esse inde sequitur, quod nisi duodecimo Anthesterionis die templum ἐν λίμναις non aperiebatur[17]); cuius diei cum cerimoniis talis pompa ea de causa non convenit, quod matrimonium sacrum sine pupo fiebat: quodsi hoc die pupus tamquam deus ductus esset — etiam si pompam mane a litore (velut ab Oschophorio) in urbem institutam esse censeas —, qui potuisset fieri, ut eodem die regina non pupo, sed numini ipsi pro tota urbe nuberet? accedit quod talis pompae in oratione contra Neaeram fortuito mentionem factam non esse nemo sibi persuadebit. Athenis ipsis igitur Bacchi carrum navalem ductum esse nego.

quod autem haec pompa Anthesteriis Atheniensibus attribui non potest, magni momenti est, cum inde potissimum cognoscamus, quam longe Athenienses paulatim ab Ionum religione laeta, neque tamen animarum cultui nimis dedita deflexerint. nam postquam Bacchus Ionicus per insulas Athenas venit, initio etiam illic simulacrum in carro navali ductum esse veri simillimum est. sed Anthesteria Atheniensia, qua erant indole, ei thiasi Bacchici strepitus parum conveniebat, etiam si animas quoque deum secutas esse censeamus. quo factum est, ut Bacchus tamquam naturae redivivae numen magnum animarumque rex Anthesteriis etiam Athenis coleretur, sed thiasus tumultuosus pompis sacris imitationi non esset. qui nisi in vico vetere montibus circumdato, ubi Icarus Bacchum olim receperat, servatus non est.

deinde ne eos quidem, quibus imperatum erat, ut post Choum convivium publicum hirneas coronatas faece in templo Limnaeo libata sacerdoti traderent[18]), pompam instituisse putandum est. nam primum nisi in suum sacrum Bacchi sacerdotem Dicaeopolim non invitasse[19]) et

---

[15]) Sintfluthsagen p. 117. quomodo ille hanc pompam institutam esse censeat, cognosci nequit; sed aliam occasionem non video. de eis, in quibus Usener nititur vasculis, quae Bacchi carrum navalem pictum exhibent, v. excursum.

[16]) Venetiarum duces e Bucentauro in mare non descendebant.

[17]) in Neaer. 76.

[18]) Phanodemus apud Athen. X p. 437 c—d.

[19]) Arist. Ach. 1087, Mommsen p. 397, 1.

in Lenaeo Pandionem convivium habuisse[20]) Mommsenius recte dixit, deinde Phanodemi quoque verba[21]) is qui Doerpfeldium Lenaeum *ἐν λίμναις* invenisse putat, facile intellegit: convivae enim, qui in sacri parte externa cubuerant, poti hirneas ad adytum, quod hoc uno die aperiebatur, portabant[22]). pompae igitur spatium non est.

iam ea, quam Aristophanes testatur, Chytrorum pompa tractanda est. ipsa autem poetae verba exscribo (Ran. 210 sqq.): *βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ. λιμναῖα κρημνῶν τέκνα, ξύναυλον ὕμνων βοὰν φθεγξώμεθ' εὔγηρυν ἐμὰν ἀοιδάν, κοὰξ κοάξ, ἣν ἀμφὶ Νυσήιον Διὸς Διόνυσον ἐν λίμναις ἰαχήσαμεν, ἡνίχ' ὁ κραιπαλόκωμος τοῖς ἱεροῖσι Χύτροισι χωρεῖ κατ' ἐμὸν τέμενος λαῶν ὄχλος. βρεκεκεκέξ κοὰξ κοάξ.* cuius pompae seu totius diei festi aetium Theopompus ita fere narraverat[23]): post diluvii finem superstites omnium frugum chytram coxisse, unde nomen duxissent sollemnia; quam chytram integram[24]) Mercurio terrestri mortuorum causa Chytris sacrificari. quibuscum testimoniis viri docti haec Pausaniae verba coniunxerunt (I 18, 7): *ἔστι δὲ ἀρχαῖα ἐν τῶι περιβόλωι Ζεὺς χαλκοῦς καὶ ναὸς Κρόνου καὶ Ῥέας καὶ τέμενος Γῆς ἐπίκλησιν Ὀλυμπίας. ἐνταῦθα ὅσον ἐς πῆχυν τὸ ἔδαφος διέστηκε, καὶ λέγουσι μετὰ τὴν ἐπομβρίαν τὴν ἐπὶ Δευκαλίωνος συμβᾶσαν ὑπορρυῆναι ταύτηι τὸ ὕδωρ, ἐσβάλλουσί τε ἐς αὐτὸ ἀνὰ πᾶν ἔτος ἄλφιτα πυρῶν μέλιτι μάξαντες.* ad voraginem igitur in Terrae Olympiae sacro pompa per viam pompicam ducebatur[25]); quo factum est, ut Lenaeum praeteriret.

haec tamquam certa de Chytrorum pompa dici possunt, sed alia quoque testimonia a viris doctis huc relata sunt. ac primum quidem ea de causa, quod feminae chytras in capite portabant, cum nova deorum sive simulacra sive sacra conderentur[26]), in Chytrorum quoque pompa

---

[20]) schol. Ar. Ach. 961.

[21]) *παρήγγειλέ τε καὶ τοῦ πότου παυσαμένους τοὺς μὲν στεφάνους οἷς ἐστεφάνωντο πρὸς τὰ ἱερὰ μὴ τιθέναι, διὰ τὸ ὁμορόφους γενέσθαι Ὀρέστηι, περὶ δὲ τὸν χόα τὸν ἑαυτοῦ ἕκαστον περιθεῖναι, καὶ τῆι ἱερείαι ἀποφέρειν τοὺς στεφάνους πρὸς τὸ ἐν λίμναις τέμενος, ἔπειτα θύειν ἐν τῶι ἱερῶι τὰ ἐπίλοιπα.*

[22]) quod Mommsenius etiam neglecta Doerpfeldii opinione perspexit.

[23]) schol. Arist. Ach. 1076, Ran. 218. primi scholii error (nam Choibus, non Chytris illas cerimonias fieri dicit) ex altero iam dudum emendatus est.

[24]) inferorum sacra neminem gustasse ultro intellegimus.

[25]) in foro congregatos cives via Panathenaica usos esse coniecit de Prott l. c. p. 211, 2. quod eo quod equites pompam secuti videntur esse (cf. not. 30) confirmatur: nam equites, cum pompas ducerent, forum tangere solebant (Demosth. XXI 171).

[26]) Arist. Plut. 1190 sqq. cum scholiis. unde, ne nimis multa ad Chytrorum pompam referamus, cavendum est; velut vestes varias hac in pompa portatas esse putare non possumus. nam etiam in pompa Panathenaica vestibus variis interdictum fuisse Atheniensibus Lucianus tradit (Nigrin. XIV) atque multa sacra nisi veste alba indutis intrare non licebat (cf. ex. gr. titulum nuper Priene erutum quem publici iuris

feminas hoc munere esse functas putandum est et item, atque aliis in pompis canephori, etiam illae in primo agmine videntur processisse[27]). tum hydrophoriam huc referendam esse veri simile est[28]): eas igitur quae chytras portabant feminas hydriaphori fortasse sequebantur. deinde plebis grex varia procedebat[29]) pompamque conclusisse equites videntur[30]).

excursus.
de vasculis Bacchicis.

iam ad Bacchi carrum navalem, qui tribus in scyphis colore nigro pictis occurrit, redeamus[31]). quos accurate interpretemur necessarium est. omnes autem eundem carrum exhibent navalem, in quo Bacchus ipse cum vite sedet et sileni singuli utrimque tibiis canunt. quem carrum in primo vase duo sileni trahunt, puer, deinde duae feminae, denique tertia, quae liba in capite portat, sequuntur; utrum autem duo sileni, qui taurum ducunt, in primo an in ultimo agmine procedant, ea de causa certe diiudicari nequit, quod pictura nusquam interrupta totum vas circumcingit[32]). contra in scypho altero carrum navalem nemo trahit taurumque a carro separatum in altera vasculi parte quinque viri ducunt, e quibus unus tibiis canit. tertii autem scyphi fragmenta solum carrum navalem continent.

quibus picturis quid exprimatur, videamus. ac primum quidem ne

---

ecit Kekule de Stradonitz, Sitz.-Ber. d. Berl. Akad. 1899 p. 280). quod autem e scholiastae verbis *γυναῖκες σεμναί τινες* Mommsenius concludit p. 399. geraeras chytras portasse stare non potest. nam primum geraerae Bacchicae a Chytris separandae sunt, tum ex Aristophanis verbis *φέρε σεμνῶς* scholiastae videntur fluxisse.

[27]) *προσοδοποιεῖν*, schol. 1197.

[28]) ex Apollonio Acharnensi lexicographi (Phot. s. v., cf. *Χαλκεῖα* (de Wilamowitz Kydathen p. 155, 72) = Suid. = Et. M., brevius Hes.) hanc glossam servaverunt: *ὑδροφορία· ἑορτὴ πένθιμος Ἀθήνησιν ἐπὶ τοῖς ἐν τῶι κατακλυσμῶι ἀπολομένοις.* quacum Carolus F. Hermannus Gr. Ant. II § 58, 22 et Plutarchi verba Sull. XIV. *Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς ἐν ὧι κατὰ τύχην ὑπομνήματα πολλὰ τοῦ διὰ τὴν ἐπομβρίαν ὀλέθρου καὶ τῆς φθορᾶς ἐκείνης δρῶσιν* — et Pausaniae locum s. c. coniunxit. cf. Rohde Psyche [2] I p. 238, 3, Stengel Hdb. p. 210. etiam ad Diasia hydrophoriam referri posse Mommsenius censet p. 424. sed Chytri praeferendi videntur esse; nam quod scholiasta, cum Chytrorum aetium e Theopompo narret, hydrophoriam, quae apud Aristophanem non est, omittit, argumentum e silentio non est.

[29]) *ὁ κραιπαλόκωμος λαῶν ὄχλος.*

[30]) quod Boeckhius Staatshaushalt II [3] p. 17 e tit. CIG 147. coniecit; nam 10. Anthesterionis die equitibus pabuli pecunia solvebatur.

[31]) 1. scyphus Bononiensis Mus. Ital. II t. I 4 (Brizio) = mus. rhen. XLIII p. 355 (Duemmler) = Usener Sintfluthsagen p. 118 fig. 3. — 2. scyphus Acrensis Iudica ant. di Acre t. XXVI = Panofka vasi di premio t. IV = Inghirami vasi fitt. I t. XXXIII, Cat. of vases in the Brit. Mus. II B 79. — 3. scyphus Atheniensis in arce repertus 62 a), cuius apographum Delbrueckius meus misit.

[32]) taurum in primo agmine duci conicias; quod Brizius proposuit.

ipsius Bacchi vitem afferentis adventum, qualem olim fuisse credebant, agnoscamus, carro navali impedimur; nam nave, non carro navali Bacchus trans mare venerat[33]). deinde ne hominum pompam, qua dei adventum imitati sint, accurate expressam esse putemus, a Baccho prohibemur, qui tamquam deus ipse, non tamquam simulacrum pictus est. cum autem homines in pompis sacris deorum vice non fungerentur[34]), ne ita quidem iuvamur, ut hominem Bacchi attributis praeditum agnoscamus; immo pictores verum Bacchi adventum fabulis celebratum et artis operibus expressum cum hominum pompis miscuerunt. nihil amplius igitur, quam quod Duemmler fecit e scyphis illis concludere possumus, scilicet Bacchi carrum navalem in Attica esse ductum; quam cerimoniam cum Atheniensium sollemnibus publicis inserere non possimus[35]), nemo Icariensibus tribuere nolet. sed ne taurum quidem sive tauros — nam unum tantum Baccho advenienti immolatum esse haud facile quisquam sibi persuadebit — simul deductos esse tamquam certum colligere ausim.

ΑΣΚΛΗΠΙΕΙΑ.

octavo Elaphebolionis die Aesculapio boves multi sacrificabantur[1]). qui utrum in pompa ad sacrum ducti sint necne, ut certo confici nequit, ita ex Asclepieorum autumnalium similitudine sequi videtur. quam pompam, si modo exstitit, eiusdem fere formae atque illam fuisse veri simile est[2]).

cum Dionysiis autem Aesculapii sollemnia verna nisi tempore non cohaerebant.

---

[33]) velut in Execiae patera Gerhard A. V. I t. XLIX = W. V. 1888 t. VII et in ea amphora, quam Loeschkius descripsit apud Maassium Parerga Attica p. IX = Usener Sintfluthsagen p. 116.

[34]) quibus de causis Wilamowitzium secutus (Herakl.[1] I p. 62 not. 23) a Bethio dissentiar (Prolegomena p. 44 sqq.) hoc loco exponere non possum. Usener quoque (l. c. p. 119) simulacrum in carru ductum esse censet. Niciae vernam autem, qui est apud Plutarchum (Nic. III), munere sacro functum non esse non est quod moneamus. sed infimis temporibus nonnusquam puellae Dianae ornatu insignes in pompis videntur processisse, Xen. Eph. I 2, 6 sq., Apoll. Tyr. p. 62, 13, Heliod. Aeth. I 2, V 31, cf. Rohde Der griech. Roman p. 390, 3. contra Romani aliter senserunt: nam et maiores in pompis funebribus procedebant neque quid triumphus fuerit intellegere possumus nisi ita, ut triumphatorem tamquam Iovem ipsum deductum esse censeamus.

[35]) Lenaeis carrum navalem ductum non esse constat; quorum formae neque antiquiori neque recentiori convenit; nam σκώμματα ἐξ ἁμάξης huc non pertinent, cf. Lenaea not. 13. sed ne ad Anthesteria quidem carrum navalem referri posse vidimus. denique Bacchi Eleutherei simulacrum in Ionico carro navali in Academiam et inde rursus in urbem ductum esse nemo putabit.

[1]) Aeschin. III 67, CIA II 741 fr. a, b, d.

[2]) v. s. p. 38. Preller-Robert I p. 674, 1 Aristotelis verba Ἀθ. πολ. LVI 4 parum recte huc retulit, v. s. l. c. not. 14.

ΔΙΟΝΥΣΙΑ ΤΑ ΕΝ ΑΣΤΕΙ.

magnorum Dionysiorum natura cum omnis fere in pompae ritibus quasi cardine versetur, nihil praefari, sed a pompa restituenda ordiri iuvat.

quae pompa quam gravis fuerit inter alias cerimonias splendidas, ex omnibus testimoniis elucet; nam ubi Dionysiorum cerimoniae principales enumerantur, pompa non solum numquam omittitur, sed etiam semper primum locum obtinet[1]), archonti et decem epimeletis curae erat, centum minis consumptis splendebat[2]). boves autem multos, qui Dionysiis immolabantur[3]), in pompa ductos esse concludendum est[4]), canephori, quae ab archonte eligebantur, veris frugum primitias canistris aureis portabant[5]), obeliaphoros panes[6]) et ascophoros culleos[7]) in umeris portasse veri simile est, denique metoeci scaphephori cum hydriaphoris feminis hostia-

---

[1]) leges apud Demosth. XXI 8 et 10: *τῆς πομπῆς ἢ τῶν ἀγώνων τῶν ἐν τοῖς Διονυσίοις. — τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ καὶ οἱ παῖδες (καὶ οἱ ἄνδρες) καὶ ὁ κῶμος καὶ οἱ κωμωιδοὶ καὶ οἱ τραγωιδοί.*

[2]) Arist. *Ἀθ. πολ.* LVI 4; CIA II 420.

[3]) CIA II A 741 fr. a, b, d.

[4]) e titulis ephebicis II 467, 470, 471, 482 collatis inter se. e quibus vel 471 aut 482 solus sufficeret: *ἔπεμψαν τοῖς Διονυσίοις ταῦρον ἄξιον τοῦ θεοῦ ὃν καὶ ἔθυσαν ἐν τῶι ἱερῶι τῆι πομπῆι. — τεθυκέναι δὲ μετὰ τῶν ἐφήβων — τῆι πομπῆι τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος.* quod autem altero a. Chr. n. saeculo factum est, scilicet ut hostiae in pompa ducerentur, semper factum esse putemus necessarium est. sed epheborum sacrificium peculiare cum ephebia ipsa temporum recentiorum est. e titulo autem 470. aliis quoque deis ab ephebis, fortasse etiam a civitate tota hostias in pompa ductas esse videmus; ubi in versu 67. haec sunt: *ἔθυσεν — τῶι Διονύσωι τῶι — — ωι καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς οἷς πάτριον ἦν ἐν τῆι πομπῆι τοῦ Διονύσου.* cum autem ea quae deleta sunt in versu 67., omnino desint in versu 76., illic haec legimus: *τῶι Διονύσωι καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς οἷς πάτριον ἦν.* quod idem suppletur in titulo IV 2, 420, 6. quem morem ut veterem esse putemus, voce *πάτριον* non cogimur. sed qui fuerint illi *ἄλλοι θεοί*, utrum in Bacchi sacro an aliis locis, quos pompa adierit, hostias acceperint, nescio. quod eis, qui Bacchi cultum tractant, perquirendum est.

[5]) schol. Arist. Ach. 242, quod scholiasta perperam ad Dionysia agrestia retulit. *ἀπαρχὰς ἁπάντων* portatas esse scholiasta affirmat, sed quaenam primitiae illo mense praesto fuerint nescio. — CIA II 420 cum Koehleri adnotatione, Dumont Fastes éponymiques p. 11.

[6]) Poll. XI 75 *ὀβελίαι δ' ἄρτοι οὓς εἰς Διονύσου ἔφερον οἱ καλούμενοι ὀβελιαφόροι*, Athen. III p. 111 b *ἐκαλοῦντο δὲ καὶ ὀβελιαφόροι οἱ ἐν ταῖς πομπαῖς παραφέροντες αὐτοὺς (τοὺς ὀβελίας) ἐπὶ τῶν ὤμων.* Bacchi Eleutherei sacrum, cum *εἰς Διονύσου* dicatur, significari certum est. quare Athenaei verba '*ἐν ταῖς πομπαῖς*' ad magnorum Dionysiorum pompam restringere possumus. Aristophanes et Phere- tes obeliam commemoraverunt, Antiphanes comoediam Obeliaphoros scripsit. aetium tis *Ἐπικλήσεων* libro sexto servavit Athen. l. c. et VIII p. 359 a.

Suid., Et. M., lex. Seguer. V. s. v.

rum comitatum splendidum concludebant[8]). primam igitur pompae partem ex iis, qui victimas prosequebantur et sacra diversa portabant, constitisse videmus. cum autem Graeci superorum sacrificia mane facere solerent[9]), hanc quoque pompam mane ductam esse veri simile est. quod Isocratis testimonio gravi confirmatur[10]): tributorum enim quae supererant pecuniae et eorum qui bello occiderant filii, quos res publica educandos curaverat, in orchestram ducebantur, cum theatrum civium et sociorum plenum esset. quod cum certo in pompa factum sit[11]), illam nono Elaphebolionis die mane ductam esse discimus; nam postquam certamina scenica agi coepta sunt, pompam missam esse nemo putabit. immo semper ante certamina enumeratur[12]).

sed nonnulla alia testimonia a viris doctis ad hanc pompam relata accedunt, quae cum eis, quae adhuc tractavimus, omnino non conveniunt. ac primum quidem Dionysiis Bacchi simulacrum in sacellum quoddam, quod in Academia situm erat, transportatum[13]), deinde hoc simulacrum taedis accensis *ἀπὸ τῆς ἐσχάρας* in theatrum ductum esse scimus[14]). quae omnes fere[15]) ita coniunxerunt, ut dei simulacrum in pompa, quae Bacchi Eleutheris venientis introitum imitata sit, in theatrum ductum esse rati eandem eam, quam supra adumbrare coepimus, atque hanc pompam esse censerent[16]). sed quid faces in pompa Bacchica mane ducta sibi

---

[8]) cf. glossam *ἀσκοφόροι* (not. 7) et Panathen. not. 146 et 147.

[9]) *γ* 335 sq., CIA I 2, oraculum saeculare Diels Sibyll. Bl. p. 131 v. 12 sq., cf. Stengel Hdb. p. 133. pompa Panathenaica ducebatur *ἅμ' ἡλίῳ ἀνιόντι* (CIA II 163).

[10]) *περὶ εἰρήνης* (VIII) 82, cf. Aeschin. III 154, Menexen. p. 249 a.

[11]) Fraenkel in Sallet Numismat. Zeitschr. III p. 393, de Wilamowitz Kydatheu p. 32, Heracl. II p. 49.

[12]) not. 1 et 2.

[13]) Paus. I 29, 2, Philostr. vit. soph. II 1, 3, cf. Alciphr. II 3, 16, CIA II 471 v. 12, 470 v. 15.

[14]) CIA II 471 v. 12, 470 v. 15.

[15]) Stengel Hdb. p. 211 haec testimonia non coniungit inter se, sed Bacchi simulacrum ab ephebis 8. Elaph. die vespere e templo sub arce in orchestram ductum esse censet. recte igitur a pompa, non recte, quantum mihi quidem videtur, a comissatione Bacchi introitum secernit (v. i.). extra urbis autem muros simulacrum fuisse voce *εἰσήγαγον* Dionysiis item atque Plynteriis, quae in eodem tituli versu sunt (471, 12), significatur: in Academia igitur titulorum et Alciphronis *ἐσχάρα* est. praeterea ea de causa, quod *εἰσήγαγον*, non *πάλιν εἰσήγαγον* scriptum est, dei exitus cerimonia sacra fuisse non videtur; unde simulacrum ligneum ad nullum alium finem, nisi ut redire posset, in Academiam transportatum esse sequitur. — simulacrum in pompa in Academiam, in comissatione in theatrum ductum esse Mommsenius putat p. 437 sq.; hoc recto, illud falso, si modo recte disputata sunt, quae supra dixi.

[16]) quo fit, ut pompam 9. El. die mane ductam esse dicat de Wilamowitz Herakl. II 49, 8. die vespere Preller-Robert I p. 672 (cf. Robert Goett. gel. Anz. 161, VII, p. 543). hic autem illa testimonia, ille haec neglexit, cum omnia coniungi non possent.

volunt[17]) et qui factum est, ut hostiarum multarum comitatus omni apparatu sacro exstructus deum non adiret, postquam in suum fanum advenit, sed simul cum illo adveniret? num Bacchi simulacrum ligneum, cum Eleutheris proficisceretur, hostiarum agmen immensum secum duxerat? quid denique in comissatione illa fiebat, quae inter Dionysiorum cerimonias principales enumeratur?[18]) quae omnia eo convenire puto, ut comissatione octavo Elaphebolionis die vespere instituta Bacchi simulacrum ex Academia in orchestram ductum esse censeamus; nam comissationis faces sunt, comissationis convivium illud, quod Herodes Atticus omnibus in Ceramico praebuit[19]): sic deus, ut olim primum advenerat, quotannis denuo adveniebat. Athenienses autem Bacchum, postquam in orchestra positus est, postridie mane pompa magna instituta salutabant. ergo dei introitus, qui per comissationem fiebat, a pompa discernendus est[20]).

---

[17]) faces aliis in cultibus etiam die portabantur, velut cum sacra nova conderentur (Arist. Plut. 1194 sq.) aut expiandi causa, velut in Plynteriorum pompa (ubi in titulis idem *μετὰ φωτός* occurrit) et in Munichiorum, in qua *ἀμφιφῶντες* eadem expiandi vi atque *ἄρκτευσις* ipsa praediti portabantur. contra in Iacchi pompa faces nisi vespere, cum pannychis Eleusine institueretur, portatae non videntur esse; sed quantae gravitatis faces in toto cultu Eleusinio fuerint, omnes sciunt. deinde ne eius quidem pompae, quae ad Eumenidum sacrum ducebatur (v. i.), similitudo afferri potest; nam cum haec pompa noctu duceretur, faces necessariae fuissent, etiam si neque inferorum cultui neque cultibus instituendis (Arist. Plut. l. c., Aesch. Eum. 983 Kirchhoff; vide illud *φῶς ἱερόν*) per se convenissent. sed quis est qui novo Baccho Eleuthereo expiandi vim attribuat? contra nulla comissatio sine facibus cogitari potest. die autem cum facibus comissari neque Aristophanis neque Horati temporibus decebat. (Vesp. 1331, 1373 sqq. diem esse e tota scena, imprimis e panibus pessum datis elucet. sed post chori carmen 1450 sqq. nox est [1478]. — sat. I 4, 51—52.)

[18]) v. Euegori decretum Dem. XXI 10.

[19]) Philostr. l. c. Bacchi simulacrum in comissatione in urbem deductum esse Mommsenius perspexit (p. 438), sed comissationis formam non recte videtur restituisse, cum Herodem Atticum comissantes ipsos hospitio excepisse putet. nam agmen esset deletum, si comissantes in cubilibus hedera vinctis in Ceramico potare coepissent. immo Philostratum spectantes respicere vel inde apparet, quod coniungit *ἀστοὺς ὁμοίως καὶ ξένους*. nam cum socii tamquam legati in pompa magna procederent, comissati certo non sunt. sed sophista verba illa fortasse antitheseos gratia scripsit (locus communis est, v. ex. gr. Plat. Gorg. p. 472 a).

[20]) dei introitum etiam in titulis ephebicis a pompa separari posse demonstrandum est. conferamus singulos locos. 471: *συνεξήγαγον δὲ καὶ τὴν Παλλάδα Φαληροῖ κἀκεῖθεν πάλιν συνεισήγαγον μετὰ φωτὸς μετὰ πάσης εὐκοσμίας, εἰσήγαγον δὲ [κ]αὶ τὸν Διόνυσον ἀπὸ τῆς ἐσχάρας εἰς τὸ θέατρον μετὰ φωτὸς καὶ ἔπε[μ]ψαν τοῖς Διονυσίοις ταῦρον ἄξιον τοῦ θεοῦ ὃν καὶ ἔθυσαν ἐν [τ]ῶι ἱερῶι τῆι πομπῆι.* quo in titulo cum utraque sententiae pars particulis *δὲ καὶ* — *καὶ* positis eadem forma circumscripta sit, ut exitus et reditus Plynteriis, ita Dionysiis Bacchi introitus et pompa discerni inter se non solum possunt, sed etiam debent. quae forma ei, qui titulum 470. legit, in mente est versanda: *συνεξήγαγον δὲ καὶ τὴν Παλλάδα μετὰ τῶν γεννητῶν κα[ὶ] πάλιν εἰ[σήγαγ]ον μετὰ πάσης εὐκοσμίας, εἰσήγαγον δὲ καὶ τὸν Διόνυσον ἀπὸ [τ]ῆς ἐσχάρας θύσαντες τῶι θεῶι [κα]ὶ ἀνέθηκαν*

haec igitur statuenda sunt: octavo Elaphebolionis die aut paulo antea, quod exigui momenti est, Bacchi Eleutherei simulacrum ligneum in Academiae sacellum ad *ἐσχάραν* transportabatur. tum die octavo vespere comissatione magna instituta personati multi simulacrum redux factum taedis accensis in urbem deducebant; inter quos posterioribus temporibus ephebi munere publico fungebantur. per Ceramicum autem, ubi cives deum conviviis institutis salutabant, per forum, circum Areopagum agmen in via pompica ad theatrum ducebatur[21]). denique simulacrum in orchestra usque ad sollemnium finem mansurum[22]) collocabatur.

deinde postero die, Elaphebolionis nono, mane, postquam cives et socii in theatrum congregati sunt, pompa magna Baccho mittebatur. ac primum quidem Athenienses permultos boves deo offerebant[23]); unde multas canephoros hostias praecessisse, obeliaphoros cum panibus et ascophoros cum culleis multos, denique multos metoecos viros tamquam scaphephoros et feminas tamquam hydriaphoros secutas esse concludendum est. musici autem, qui omnibus sacrificiis intererant, hanc quoque pompam multi sequebantur; inter quos Eunidae videntur eminuisse[24]). deinde etiam ex Atheniensibus phallophoros, qui carmina Bacchica canebant[25]), in pompa fuisse ea de causa censendum est, quod colonis, ut fascinum

---

φιάλην κτλ. primum hoc in titulo et Plynteriis et Dionysiis deest grave illud *μετὰ φωτός*. deinde neque sollemnia nominantur neque hostia neque hostiae definitio ut in tit. 471 (*ἄξιον τοῦ θεοῦ*). quae omnia una vox *θύσαντες τῶι θεῶι* continet. inde igitur quod cum verbo *εἰσήγαγον* participium *θύσαντες* coniunctum est, cerimonias quoque coniunctas esse concludi nequit: participii enim forma expressa altera cerimonia alteri, quae praedicato expressa est, adiungitur. facile autem fieri potuit, ut haec epheborum muneris pars decurtaretur, quia ephebi in pompa magna multo minus splendebant, quam in comissatione, cum Bacchum ex Academia in theatrum prosequerentur. cogitate igitur *τῆι πομπῆι* scriptum non est, quod perperam ad *εἰσήγαγον* referri potuisset; latet enim in voce decurtata *θύσαντες τῶι θεῶι*. cui opinioni etiam ea, quae in titulo 469. servata sunt, favent: *καὶ ε[ἰ]σήγαγον τὸν θεὸν ἀπὸ τῆς [ἐσχάρας — —, — — — — —]α [— — — — — — — — — — τῆι πομ]πῆι, καὶ θύσαντες ἐπὶ τούτ[οις ἐκαλλιέρησαν.*

[21]) etiam ultima viae pars ea de causa certa est, quod Doerpfeldii via pompica usque ad theatrum continuatur (v. Athen. Mitt. XIX tab. XIV).

[22]) Dio Chrys. XXXI 121 de Arnim.

[23]) CIA II 741 fr. a v. 16—17.

[24]) v. Panathen. not. 128.

[25]) cf. Dionysia agrestia not. 14, Arist. Ach. 261 sqq. carmina, quae in magnorum Dionysiorum pompa in Demetrii Phalerei honorem decantata sunt, Duris testatur in historiarum libro XVI. apud Athen. XII p. 542 e. quae carmina phallophoros cecinisse et ex Aristophane et ex ithyphallo illo concludo, quo Athenienses Demetrium Poliorceten salutaverunt (Duris l. c. in libro XXII. apud Athen. VI p. 253 d, Bergk III carm. popul. 46).

scilicet cum phallophoris mitterent, ita imperatum erat, ut boves cum ovibus Panathenaeis[26]). Athenienses autem phallophoros ei, quos coloni, id est imperii Attici civitates omnes miserant, ordine longo sequebantur. tum tributorum quae supererant pecuniae item atque Panathenaeis pompea, quae e Minervae supellectile sacra sumpta erant, portabantur, deinde eorum, qui pro patria occiderant, filii ephebiam nacti procedebant. denique equites pompam conclusisse veri simillimum est[27]). postea autem ephebi, ut comissationem sequebantur, ita in pompa taurum proprium ducebant[28]).

ad postremum, quo ordine singulos in pompa processissse putem, breviter repeto: canephoros boves obeliaphoros ascophoros scaphephoros hydriaphoros phallophoros magistratus tributa pupillos equites[29]). eadem autem via pompica et comissatio et pompa ducebatur.

quoniam comissationem et pompam absolvimus, nunc quid ex eis ad cognoscendam Dionysiorum naturam sequatur, videamus.

ac primum quidem Pisistratus magna Dionysia ita condidit, ut non magis cultui, quam gerendae rei publicae consiliis faveret; cogitate enim gentium nobilium Pandia Dionysiorum splendore obscuravit.

sexto saeculo igitur Bacchi simulacrum Eleutheris Athenas ductum est. cuius in facti memoriam Athenienses quotannis comissatione instituta statuam ligneam denuo in urbem deducebant. non ita igitur ut Bacchi Ionici ipsius cum suo thiaso adventus, sed tamquam cultus ab hominibus instituti anniversarius simulacri introitus repetebatur. quo factum est, ut etiam pompa, qua deum novum salutabant, religione careret: nam numquam fascina illa deum ipsum significaverant, sed ab initio tamquam procreationis symbola portabantur.

quibus sollemnibus Atheniensium civitas ad imperium regendum non minus usa est, quam ad Atticam coercendam Pisistratus; nam ut

---

[26]) quod Breae colonis imperatur fascinum (CIA I 31) quin ad civitates omnes referri possit, non est quod dubitemus.

[27]) equites hac in pompa non fuisse haud facile quisquam putabit. ut enim tributis portatis imperii opes producebantur, ita equites in exercitu Atheniensi maxime splendebant. (splendebant forma, non virtute; rectius simplices illi nautae duri in pompa processissent.) equites autem ea de causa, quod certamina spectaturi essent, in pompa non fuisse opponi nequit; nam ephebos et in pompa processisse et spectaculis adfuisse e titulis scimus. calonibus autem equi tradi poterant.

[28]) saeculo altero a. Chr. n. CIA II 467, 470, 471, 482, p. Chr. n. III 1110.

[29]) hunc ordinem testimoniis certis non confirmari probe scio; sed e pompae Panathenaicae et Dionysiorum agrestium similitudine quae sequebantur concludenda esse duxi. quo factum est, ut id tantum dubium esset, utrum tributa an pupilli antecesserint; Isocratis igitur ordo servandus erat. tributa autem non tamquam pompea a canephoris portata esse non est quod pluribus exponam.

Athenienses certaminibus sunt usi, ut fabulis actis ingenii vim sociis monstrarent, ita pompa, ut opes producerent demonstrarentque civium sanguinis vectigal nobile, quo potestatem denuo semper mererent. —

ΙΚΕΤΗΡΙΑ ΑΡΤΕΜΙΔΙ ΔΕΛΦΙΝΙΑΙ ΠΕΜΠΟΜΕΝΗ.

sexto Munichionis die termes filis laneis convolutus a puellis in Delphinium, quod prope Pythium ad Ilisum situm erat[1]), portabatur[2]). quo in sacro cum Dianam Delphiniam cultam esse sciamus[3]), illam puellas placaturas adiisse e sexto mensis die concludendum est. totus autem mensis Dianae sacer erat, nam et a Munichiis nomen duxit et Brauronia hoc mense celebrata esse veri simile est[4]). praeterea Artemision (Artamitius), qui apud Ionas et Dores occurrit[5]), cum Munichionis Attici parte prima convenit[6]): Apollinem igitur, qui in aetio est[7]), primum locum obtinuisse atque sexto et septimo Munichionis die Delphinia Athenis celebrata esse nego[8]); sed ut Munichiae et Braurone, ita Diana Athenis antiquitus suo mense placabatur. quod autem cultus formae simplicissimae numquam amplificatae videntur esse, inde fortasse intellegitur, quod dea Brauronia, postquam Pisistratidae Brauronium in arce instituerunt[9]), maior erat. item Munichia post pugnam Salaminiam tamquam sollemnia publica splendidius celebrabantur[10]); quo factum est, ut Diana Delphinia aliquantum obscuraretur.

pompae formam autem testimoniis deficientibus accuratius definire non possumus. nam ne capras quidem, quae etiam huic Dianae sacrifi-

---

1) Paus. I 19, 1; cf. de Prott Ath. Mitt. XXIII p. 211, 1. Maassium (de Lenaeo et Delphinio p. XVI sq.) sequi non possum.

2) Plut. Thes. XVIII.

3) Poll. VIII 119.

4) v. i. Munichia cum nota 13. Brauronia fortasse eodem die celebrabantur.

5) Preller-Robert I p. 302 et 296, 2, Mommsen p. 450.

6) Homolle BCH V p. 28.

7) Plut. l. c. unde Apollini pompam ductam esse sequeretur, nisi eo, quod sextus dies nominatur, aetium cum ritibus male convenire appareret.

8) Schoemann Gr. Alt. II p. 433, Preller-Robert I p. 260 cum nota 3, Stengel Hdb. p. 212, Mommsen p. 449 sq. Apollinem septimo die aliquo modo celebratum esse nec demonstrari nec negari potest; sed quae ultra coniciuntur in aere suspensa, quae de navigatione hoc tempore aperta dicuntur falsa sunt. nam multo antea Athenienses Delum vehebantur (cf. Robert Herm. XXI p. 161 sqq.) et magnis Dionysiis mare iam quietum erat (Theophr. Char. III). quare cur Mommsenius in uno titulo II 809 v. 175 sq. nisus aetium conservet, parum intellego (p. 451 cum nota 2).

9) de Wilamowitz Kydathen p. 128, 47.

10) v. Munichia, not. 7.

catae videntur esse[11]), in puellarum pompa esse ductas affirmari neque utrum una e puellis an sacerdos termitem portaverit, diiudicari potest: *τὰς κόρας πέμπουσιν ἱλασομένας εἰς Δελφίνιον.*

ΜΟΥΝΙΧΙΑ. ΒΡΑΥΡΩΝΙΑ.

Munichia et Brauronia simul tractare in animo est, quia et cerimoniae et fabulae ex iis ortae simillimae sunt inter se. pompam autem illis ductam esse traditum[1]), his veri simile est.

atque primum et huic et illi Dianae puellae tamquam *ἄρκτοι* serviebant[2]), tum utrique caprae immolabantur[3]); praeterea Brauroniis hominem in collo vulneratum esse[4]) et canephoros processisse[5]), Munichiis

[11]) v. aetium Theseum Plut. l. c., Mommsen p. 451.

[1]) CIA II 468 v. 13, 467 v. 20.

[2]) Arist. Lysistr. cum scholio (unde Suidas *ἄρκτος ἢ Βραυρωνίοις*), Crateri *ψηφίσματα* apud Harp. *ἀρκτεῦσαι*, qui Aristophanem in Lemniis et in Lysistrata, Euripidem in Hypsipyla hanc cerimoniam commemorasse tradit (Euripidem etiam in Iphigeniae Tauricae prologo hunc morem tractasse coniecit de Wilamowitz Herm. XVIII p. 254, 2). Harpocrationem epitomatum Suidas exscripsit. Hes *ἄρκος*, *ἀρκτεία*, *ἀρκτεύειν* breviter. fabulam Munichiam Pausanias tradit apud Eustath. p. 331, 26, cf. lex. Seguer. VI. Bekker p 444. idem apud Suid. *Ἔμβαρός εἰμι* et paroem. gr. II p. 397. in ea fabulae forma, quae est in paroem. I p. 402, Crateri *ψηφίσματα* cognoscimus: *ψηφισαμένων δὲ τῶν Ἀθηναίων κτλ.* — fabulam Brauroniam e Phanodemi fr. 11. restituimus (Et. M. *ταυροπόλον* p. 748, 2 ex Apollodori *περὶ θεῶν*, v. de Wilamowitz Herm. XVIII p. 259, 2), cf. schol. Arist. Lys. l. c.

[3]) quod Munichiis factum esse e fabula elucet, Brauroniis Hes. s. v. testatur. capra Dianae hostia sollemnis est, cf. *Χαριστήρια τῆς ἐν Μαραθῶνι νίκης.* (testimonia collegit Preller-Robert I p. 302, 4.) hoc sacrificium schol. Ar. Lys. l. c. respicit: *συνετέλουν τὴν θυσίαν τῆι Βραυρωνίαι Ἀρτέμιδι καὶ τῆι Μουνιχίαι* (sc. *αἱ ἄρκτοι*) — *ἐπετέλουν δὲ τὴν θυσίαν αἱ κόραι ἐκμειλισσόμεναι τὴν θεὸν κτλ.* ad idem caprarum sacrificium, quod post pugnam Salaminiam amplificatum est, titulum ephebicum II 467 v. 20: *ἐποιήσαντο δὲ καὶ τῆι πομπῆι ἅμιλλαν ἐν τῶι λιμένι, περιέπλευσαν δὲ καὶ εἰς Μουνιχίαν καὶ ἔθυσαν τῆι θεῶι* referendum esse e pugnae Marathoniae Charisteriorum similitudine concludo (ephebi capras proprias in hostiarum agmine maiore videntur duxisse). ceterum rectius scriptum esset *ἐποίησαν δὲ καὶ τῆι ἑορτῆι ἅμιλλαν ἐν τῶι λιμένι, περιέπλευσαν δὲ καὶ εἰς Μουνιχίαν καὶ ἔθυσαν τῆι θεῶι τῆι πομπῆι.*, scriba fortasse duos dativos separare voluit inter se. — restat ut Mommsenii opinionem refellam, qui sacrificia omnino facta non esse, sed *ἀρκτείαν* voce *θυσία* significari putat (p. 458, 1). quod Gerhardus, quem Mommsenius citat, dicere noluit. nam si pro hominibus bestiae immolabantur, ex his, non ex hominibus sacrificium constabat. v. lex. Seguer. VI. Bekker p. 444 *καὶ ἄλλως ἀρκτεῦσαι λέγεται τὸ ὥσπερ ἄριστον ἀφοσιώσασθαι τῆι Ἀρτέμιδι καὶ θῦσαι*: *ἄρκτοι* igitur sacrificia faciebant. quo sensu Didymus in eo libro, quem etiam hac de re conscripsit, *τὸ ἀρκτεύειν δεκατεύειν* appellaverat (sic Demosth. et Lys., cf. Harp. *δεκατεύειν*).

[4]) Eur. Iph. Taur. 1458 sq.

[5]) Philochorus in scholio A 594, cf. Dianae Brauroniae canistra CIA II 754 v. 30, 755 v. 22, 756 v. 9.

placentas ἀμφιφῶντας portatas[6]) et inde a saeculo quinto pugnae Salaminiae gratiam relatam esse[7]) scimus. ut autem quomodo illa ἀρκτεία conformata fuerit, diiudicare difficile est, ita facile, quomodo ἄρκτοι in pompa ductae sint, cognoscimus; nam cum eadem vis, quae totius ἀρκτείας est (ἀφοσίωσις τῆς παρθενίας), etiam canephoriae tribuatur, ἄρκτους canephororum munere in pompis functas esse veri simillimum est[8]).

in Munichiorum igitur pompa, quae sexto decimo mensis die ducebatur[9]), canephori vestibus croceis indutae atque fortasse aliquo modo tamquam ursae exornatae ante capras et ἀμφιφῶντας placentas candelis circumdatas procedebant. e civibus autem temporibus antiquis imprimis feminae, post pugnam Salaminiam etiam milites[10]), tandem suis temporibus ephebi pompam sequebantur[11]). ac ne equites quidem pompae, quae in pugnae Salaminiae memoriam ducebatur, defuisse credam. quae pompa per Piraei forum et splendidissimam viam latam ad sacrum, quod in summo colle Munichio situm erat, ascendebat[12]). —

similem pompam Brauroniis ductam esse veri simillimum est[13]);

---

[6]) Philochor. περὶ θυσιῶν l. l. apud Athen. XIV p. 645 a, Apollodorus περὶ θεῶν apud Suid. s. v. et ἀνάστατοι, cf. Poll. VI 75, Et. M. ἀμφιφῶν p. 94, 56. vide vasculum Boeoticum Ἐφ. ἀρχ. 1890 tab. 7, Kern p. 136. ἀμφιφῶντας in pompa portatos esse e verbis φέρειν, κομίζειν εἰς τὸ ἱερὸν veri simile est, praesertim cum pompa eodem die duceretur, quo placentae in sacrum portabantur. iisdem verbis Pollux obeliaphoros inducit; quos in pompa Bacchica processisse Athen. III p. 111 b docet; sed εἰς τὰ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερά Athenaeus fortasse suo more parum accurate scripsit (sic obeliaphoros 'ἐν ταῖς πομπαῖς' fuisse dicit, quamquam illos in Magnorum Dionysiorum pompa sola processisse constat). sed ἀμφιφῶντες saepius atque etiam aliis numinibus offerebantur (Kern l. c.); tamen illos Brauroniorum pompae non attribuam.

[7]) 16. Munichionis die, Apollod. π. θ. apud Suid. ἀνάστατοι, Plut. de glor. Athen. VII, Lysand. XV. quod Mommsenius p. 462 sq. frustra negare conatur, cum Salamine, non Munichiae pugnam commissam esse dicat. num pugna Marathonia Agris commissa est? et cur ephebi eam pompam, quae imprimis feminarum erat, sequebantur et navium certamen atque etiam pugnam navalem (altero p. Chr. n. saeculo) instituebant, cum Brauroniis ephebos non interfuisse e titulorum silentio appareat? (CIA II 466 v. 19, 467 v. 20, 468 v. 13, 470 v. 16, 471 v. 29.)

[8]) de munere ἀρκτείας v. excursum.

[9]) Plut. l. c., Apollod. apud Suid. ἀνάστατοι.

[10]) quod ea de causa, quod pugna Salaminia hac pompa celebrabatur, veri simillimum est, cf. epheborum certamen et pugnam navalem, pugnae Marathoniae Charisteria, Boedromia.

[11]) v. not. 1.

[12]) cf. Xenoph. hell. II 4, 10—11; Wachsmuth Stadt Athen II p. 132 sq. v. i. Bendidea.

[13]) canephori, hostiae, feminae multae atque raptu faciles (v. excursum et not. 14) alio modo expediri vix poterunt. accedit Munichiorum similitudo. Brauroniorum tempus non novimus, neque simul cum Munichiis celebrata esse adeo veri simile est, ut alios dies excludere possimus (Mommsenius p. 455). nam etiam 6. Mu-

sed et formae antiquiores in hac servatae sunt, cum ante capras is, cuius cruore Diana placabatur, homo sacer procederet, neque eae accesserunt cerimoniae, quae in pugnae Salaminiae memoriam fiebant. civium autem agmen magnum praeter penteteridem imprimis e feminis videtur constitisse[14]). haec pompa Halis ducebatur; num autem etiam ad sacrum Brauronium, quod in arce situm erat, pompa missa sit, confici nequit.

excursus.
de munere *ἀρκτείας*.

ut *ἀρκτείας* illius natura clarius eluceat, primum testimonia principalia exscribo. Harp. *ἀρκτεῦσαι — τὸ καθιερωθῆναι πρὸ γάμων τὰς παρθένους τῆι Ἀρτέμιδι τῆι Μουνιχίαι ἢ τῆι Βραυρωνίαι κτλ.* — schol. Arist. Lys. l. c. — — *δηλωθέντος δὲ τοῦ χρησμοῦ τοῖς Ἀθηναίοις ἐψηφίσαντο* (vide Craterum, quo etiam Harp. usus est) *μὴ πρότερον συνοικίζεσθαι ἀνδρὶ παρθένον, εἰ μὴ ἀρκτεύσειεν τῆι θεῶι.* — schol. Theocr. II 66 *εἰώθασι γὰρ τῆι Ἀρτέμιδι κανηφορεῖν αἱ μέλλουσαι γαμεῖσθαι ἐπ' ἀφοσιώσει τῆς παρθενίας, ἵνα μὴ νεμεσηθῶσιν ὑπ' αὐτῆς, τὰ δὲ μυστήρια ταῦτα Ἀθήνησι πολιτεύονται.* sequitur idem aliis verbis comprehensum. accedit Philochori testimonium in scholio A 594 *Φιλόχορός φησι Πελασγοὺς αὐτοὺς* (sc. *τοὺς Σίντιας*) *ὄντας οὕτως προσαγορευθῆναι, ἐπεὶ πλεύσαντες εἰς Βραυρῶνα κανηφόρους παρθένους ἥρπασαν* et in scholio Luc. *κατάπλ.* 1: *χρόνωι δ' ὕστερον ἀπὸ ταύτης τῆς αἰτίας ἐχθρωδῶς διακείμενοι τοῖς Ἀθηναίοις ὥρμησαν εἰς πλοῖα καὶ κατασχόντες εἰς Βραυρῶνα τῆς Ἀττικῆς ἥρπασαν παρθένους ἀρκτευομένας τῆι θεῶι ἐν Βραυρωνίοις.* iam quomodo iudicandum sit apparet: ubi enim in cultibus Brauronio et Munichio pompae ductae sunt, *ἄρκτοι*, quae quid praeterea fecerint, dicere nec possum nec debeo, tamquam canephori processerunt. cum autem Theocriti scholiasta muneris sacri cerimoniam

---

nichionis die Brauronia celebrari poterant, quin etiam vicesimus sextus patet. sed ea, quae Robertus coniecit (Goett. gel. Anz. 161, VIII p. 535), quamquam veri specie non carent, tamen pro Munichiorum similitudine credere dubito; cum Dionysiis enim agrestibus ille Brauronia coniungenda esse suspicatur.

[14]) penteteris (Arist. *Ἀθ. πολ.* LIV 7, Poll. VIII 107, Aristoph. Pax 874—876, Hes. *Βραυρωνίοις*. quomodo quinto quoque anno cerimoniae amplificatae sint, accurate definiri nequit. sed nisi civium numero maiore pompae formam mutatam esse veri simile non est. quod fortasse ita fiebat, ut ad feminas, quarum Brauronia propria fuisse ex Herodoti Philochorique testimoniis (VI 138, IV 145; Atth. lib. I in scholio A 594) elucet, viri accederent (Ar. Pax l. c.), qui hanc pompam item atque milites et ephebi pompam Munichiam secuti videntur esse; quod nefas fuisse veri simile non est. quae praeterea quinto quoque anno Braurone instituebantur rhapsodorum certamina (Hes. *Βραυρωνίοις*), fortasse a Pisistratidis condita sunt (cf. de Wilamowitz Kydathen p. 128, 47).

notissimam significaverit, Craterus de toto munere ἀρκτείας egit. item Aristophanes cum dicat κᾆτ' ἔχουσα τὸν κροκωτὸν ἄρκτος ἦ Βραυρωνίοις (Lys. 645) munus totum complectitur[15]. maioris muneris igitur pars canephoria erat.

deinde puellarum aetatem perperam addubitari demonstrandum est. quod cur Mommsenius fecerit miror, cum idem ἀρκτείαν recte cum menstruis coniungat[16]. menstrua enim illis regionibus ab anno undecimo fieri solent; antea igitur cerimonia sacra absolvenda erat: quare anni sextus et decimus tamquam muneris termini a lege praescribebantur (schol. Lysistr. l. c.). cf. Callim. in Dian. 13 sq. δός δέ μοι ἑξήκοντα χορίτιδας Ὠκεανίνας, πάσας εἰνέτεας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους. unde facile fieri potuit, ut puellae παρθένοι appellarentur[17]. ceterum Herodoti verba VI 138 — Πελασγοὶ — — εὖ τε ἐξεπιστάμενοι τὰς Ἀθηναίων ὁρτὰς — — λόχησαν Ἀρτέμιδι ἐν Βραυρῶνι ἀγούσας ὁρτὴν τὰς τῶν Ἀθηναίων γυναῖκας. ἐνθεῦτεν δ' ἁρπάσαντες τουτέων πολλὰς οἴχοντο ἀποπλέοντες· καί σφεας ἐς Λῆμνον ἀγαγόντες παλλακὰς εἶχον e Plutarcho collustrantur (qu. gr. XXI): Τυρρηνούς φασι τὰς τῶν Ἀθηναίων θυγατέρας καὶ γυναῖκας ἐκ Βραυρῶνος ἁρπάσαντας. cum puellis igitur etiam matres et omnes alias feminas, quae pompam erant secutae, rapuerant. —

ΟΛΥΜΠΙΕΙΑ.

Olympieis, quae Pisistratus, quantum quidem videtur, instituit[1], eam pompam, quam equites undevicesimo Munichionis die sequebantur[2], attribuendam esse veri simillimum est[3].

qua in pompa certo ei, quos res publica Atheniensis Iovi offerebat, boves multi ducebantur[4] neque magistratus cum civibus multis defuisse

---

[15]) sed canephoriam, quae sequitur apud Aristophanem, a Brauroniis separandam esse e voce ποτέ elucet: κἀκανηφόρουν ποτ' οὖσα παῖς καλὴ 'χουσ' ἰσχάδων ὁρμαθόν.

[16]) p. 453, 6, 459, 4. illud εἶτα in Aristophanis versu 645., in quo Mommsenius haeret, nihil demonstrat; cuius vis temporalis ea de causa urguenda non videtur esse, quod duobus muneribus annis certis absolvendis tertium additur anno omisso. versus enim, quibus poeta munera enumerat, legimus, non calendarium.

[17]) ab anno duodecimo puellae Romanae nubebant, nonnumquam etiam antea, cf. Plut. comparat. Lycurgi cum Numa IV, Rossbach Roem. Ehe p. 417.

[1]) de Wilamowitz Homer. Unters. p. 209, Busolt Gr. Gesch. p. 343. cf. Thuc. II 15 et I 126.

[2]) Plut. Phoc. XXXVII.

[3]) Mommsen p. 466, Stengel p. 212, Preller-Robert I p. 132, 2.

[4]) CIA II 741 A fr. a et b. equites solos pompam instituisse, rem novam et inauditam e Plutarchi verbis colligere non possumus. cum enim praeter equites nemo Phocionis, ut a plebis multitudine condamnati, mortem maeruerit, Plutarchus equites

censebimus. cum autem qua via pompa ducta sit, non tradatur, tamen per forum et per viam pompicam ad Ilisum videtur processisse[5]).

ΘΑΡΓΗΛΙΑ.

I.

e duobus cerimoniis discretis inter se Thargelia constabant. utramque autem Athenienses ita celebrabant, ut pompam instituerent. ac primum quidem sexto Thargelionis die pharmacorum pompa ducebatur[1]); de qua testimonia eo conveniunt, ut pompam cognoscamus, qua duo viri, qui ficis erant redimiti, nigris alter pro viris, alter albis pro feminis, ea de causa ex urbe educebantur, ut totum populum purgarent atque expiarent et pestes averterent[2]).

qui mos tam simplex est, ut explanationem fabularem non desideret; quam quantum religio non poposcerit, inde apparet, quod aliae inventae non sunt, atque ea, quae est de pestis expiatione post Androgeonis necem[3]), aut ista, quae e nomine sumpta est[4]). immo facile intellegimus aestate ineunte, quae et messem praebet et pestes subducit, homines civitatem totam ita purgare voluisse, ut omni contaminatione duobus vicariis substitutis imposita pestes et sterilitatem arcerent.

quod cum fieret, utrum pharmaci interfecti sint an expulsi, num Athenis quoque, quod aliis locis factum esse traditur[5]), virgis ficulnis flagellati sint, nescimus. tibicines autem Athenis quoque adfuisse certum est. denique utrum malefici fuerint an corpore turpes, ut confici nequit, ita exigui momenti est, quod Graeci animi et corporis vitia semper inter se miscebant[6]).

de pompae via atque fine cum nihil traditum sit, tamen unum saltem Apollinis sacrum tactum esse censebimus. cum autem ei, qui

---

solos commemoravit. ergo equites pompam maiorem sequebantur. boves autem hac in pompa ductos esse ex aliarum pomparum similitudine sequitur.

[5]) cf. Demosth. XXI 171, Panathen. not. 164.

[1]) Diog. Laert. II 44.

[2]) Ister in epiphan. libro I. apud Harp. *φαρμακός* (= Suid.), Helladius apud Phot. Bibl. cod. 279. p. 534 Bekker.

[3]) Hellad. l. c.

[4]) Ister l. c., cf. Usener Stoff d. griech. Epos p. 47 sq., 59 sq

[5]) Hes. *κραδίης νόμος*, Hippon. fr. 4—9, 37; cf. Hes. *κραδησίτης*.

[6]) huius moris, qui apud multos Graecos, imprimis apud Ionas, occurrit, testimonia alia haec sunt: schol. Arist. Ran. 730, Equit. 1136; Hes. *φαρμακοί*; Suid. *κάθαρμα*; Petron. fr. I Buecheler; cf. Hes. *φαρμακή*. — pharmacorum pompam Mannhardtius cum gentium multarum ritibus, quibus sterilitatis numen malum expellebant, comparavit in pulcra illa disputatione quae est Myth. Forsch. cap. III.

Thargeliis choris cyclicis vicerant, tripodes in Pythio, quod prope Ilisum situm erat, statuerent[7]), pompa illud adiisse putari potest[8]). sed multo antiquius alterum Pythium est, quod prope forum sub ipsa arce in antro videtur fuisse[9]). rectius igitur pompam veterem hoc ad sacrum ductam esse censebimus. praeterea pompa fortasse Apollinis Patroi templum in foro tetigit; nam huic imprimis tota civitas cordi erat et Apollinis *ἀλεξικάκου* statua adstabat[10]). tandem pharmacos extra urbem interfectos esse veri similius est quam expulsos[11]); nam voces quae sunt *φαρμακοὺς ἐκπέμπειν*[12]), *ἀποπέμπειν*[13]), *ἐξάγειν*[14]) praeter pompam nihil significant. in barathrum igitur pharmacos deiectos esse conicio[15]).

II.

purgata civitate Athenienses septimo Thargelionis die[16]) Apollini messis primitias offerebant[17]). qua in pompa cum primis spicis ipsis et placentae e spicis coctae[18]) et multi alii fructus portabantur[19]). *θάργηλοι* autem vascula fructibus diversis impleta audiebant[20]), cum omnes primitiae simul voce *θαργήλια* significarentur[21]). praeterea etiam iresiona vetus hac in pompa ducebatur[22]); nam ut Pyanopsiis alterius, ita agricolae primae messis gratiam antiquitus hoc modo referebant. quae autem ratio Pyanopsiis inter iresionam et lectisternium atque *ὄσχους*, eadem Thargeliis inter iresionam simplicem et *θαργήλια* intercedit; rusticus enim

---

7) Suid. *Πύθιον*, cf. Isae. V 41.
8) cf. Mommsenium p. 485.
9) Doerpfeld Ath. Mitt. XX p. 198 sq.
10) Paus. I 3, 4. — etiam Dianae nescio quod sacrum pompam adiisse tamquam certum affirmari nequit. nam 6. mensis dies pharmacorum pompae ea de causa conveniebat, quod septimo civitatem purgatam esse necessarium erat. atque timeo, ne Diana, quae est in Suidae et Et. M. glossis, testimoniis deficientibus propter diem sextum Apollini addita sit; nam solus Apollo est et apud Harpocrationem et apud Hesychium.
11) Stengel Herm. XXII p. 86 sqq., sed vide Toepfferum mus. rhen. XLIII p. 142 sq., Rohde Psyche² II p. 78, 2; Stengel Hdb. p. 213.
12) Hes. *κραδίης νόμος*.
13) Lys. VI 53.
14) Harp. *φαρμακός*.
15) quare pompa fortasse per portam Piraicam ex urbe ducta est.
16) Plut. conviv. VIII 1, 1—2.
17) Hes., Et. M. *Θαργήλια*.
18) Crates ap. Athen. III p. 114 a (*Ἀττικῆς διαλέκτου β'*).
19) Hes., Et. M. l. c., lex. Seguer. V. s. v. (Bekker p. 263), Porphyr. de abstin II 7 (v. excursum).
20) Hes. l. c. et s. v. *θάργηλος*.
21) Hes., Et. M. l. c.
22) schol. Ar Equit. 729, cf. Plut. 1054; v. excursum. iresionam non separatim, sed in pompa magna ductam esse veri simillimum est.

mos vetustissimus Thargeliis, quae apud omnes Ionas celebrabantur, additis olim amplificatus est. pompa autem, cum unde profecta sit nesciamus, ad Pythium antiquissimum in antro illo ducta videtur esse[23]. cuius formam accurate definire non possumus; sed *θαργήλια* et iresionam praeter cives etiam magistratus summos secutos esse inde concludo, quod pompa archonti curae erat[24].

cuius generis pompas simpliciores, quibus iresionae deducebantur, per totam Atticam institutas esse censendum est. Phlyensium autem pompam fortasse restituere possumus, cum et Daphnephorium aliquo modo cum Apolline Thargelio coniunctum[25] et daphnephoriam septimo Thargelionis die absolutam noverimus[26]. qua in pompa praeter iresionam, quae e lauro facta erat, canistrum sacrum lauro coronatum portabatur et carmina in Apollinis honorem canebantur[27]. qualibus e carminibus, quibus decantatis iresionae ubique deducebantur, Thargeliorum chori publici originem videntur duxisse.

excursus.

Porphyrii verba, quae sunt de abstin. II 7, ad Thargelia pertinere et iresionas publicas, quae Thargeliis et Pyanopsiis ducebantur, non Soli et Horis, sed Apollini oblatas esse demonstrandum est. sunt autem Porphyrii verba haec: *οἷς μαρτυρεῖν ἔοικεν καὶ ἡ Ἀθήνησιν ἔτι καὶ νῦν δρωμένη πομπὴ Ἡλίου τε καὶ Ὡρῶν· πομπεύει γὰρ ἰλὺς πόα ἄγρωστις πυρηνίων ἡγητηρία ὄσπρια δρῦς μιμαίκυλα κριθαὶ πυροὶ παλάθη ἡγητηρία ἀλεύρων πυρίνων καὶ κριθίνων φθοῖς ὀρθοστάτης χύτρος*[28]. sollemnium nomine omisso Soli et Horis hanc pompam duci Porphyrius dicit. qui cum Theophrastum se exscribere ipse confiteatur, accuratius examinandus est, quam viri docti post Mannhardtium fecerunt; nam difficilior nunc, cum tituli qui Solis cultum testantur exstent, quaestio

---

[23]) pompam antiquam Pythium vetustissimum (Doerpfeld l. c.) adiisse ultro apparet. accedit quod in Pisistrati Pythio templum fuisse non videtur. sed in antri saxis puer iresionam commode affigere poterat (Eustath. p. 1283, 8 e Pausaniae lexico Attico, de Pyanopsiorum iresiona).

[24]) Arist. *Ἀθ. πολ.* LVI 4—5, cf. Pollux VIII 89; praeterea Demosth. XXI 10 (Euegori decretum).

[25]) Theophr. *περὶ μέθης* apud Athen. X p. 424 f. Apollinis Daphnephori sacerdos CIA III 298.

[26]) Procl. ad Hesiodi op. et d. v. 767. iresionas non solum ab oliva, sed etiam a lauro sumptas esse ex eo onomastico vetere, quo lexicon Seguer. V. saepe usum est, videmus (Bekker p. 24): *εἰρεσιώνη καὶ πόθεν ἡ τῶν Πυανοψίων ἑορτή; — — κλάδος ἐλαίας καὶ δάφνης πρὸ τῶν οἰκιῶν τιθέμενος πλήρης πολλῶν ὡραίων ἀναδεδεμένων.*

[27]) Procl. l. c.

[28]) *εἰλυσπόα* Nauck, *ἐπὶ πυρηνίων ἡγηρίας* idem literis traditis non mutatis.

est. ac primum quidem schol. Ar. Equit. 729 (Plut. 1054 = Suid. s. v. *εἰρεσιώνη*) comparandum est. quod ex eodem Theophrasto fortasse originem ducit: *Πυανοψίοις καὶ Θαργηλίοις Ἡλίωι καὶ Ὥραις ἑορτάζουσιν Ἀθηναῖοι. φέρουσι δ' οἱ παῖδες κτλ.* Theophrastus igitur aut etiam alii Solem et Horas Pyanopsiis et Thargeliis celebrari videntur dixisse. quod cum ad sollemnia publica tota, quae Apollini celebrabantur (Harp. *Πυανόψια*, Hes. *Θαργήλια*) referri non possit, aut singulas e cerimoniis publicis aut privatas aut simul et has et illas respicere necesse est. qui autem factum sit, ut scholiasta talia tradat, cum cerimoniae publicae, quae fabulis illustrabantur, Apollinis esse in Atthide ferrentur (v. i.), e Porphyrio — unde scholium a Theophrasto pendere apparet — videmus. nam cum illo loco de sacrificiis agat, quae temporibus antiquissimis cruenta nondum fuerint, ea quae suis (i. e. Theophrasti) temporibus offerantur frugum sacrificia describit. Theophrastus igitur, cum sacrificia rustica tamquam argumenta proferret, non de Thargeliis et de Pyanopsiis Atheniensium sollemnibus publicis ita, ut heortologi solebant, egit, sed cerimoniis et publicis et privatis pro illa quaestione usus est. ergo illum etiam iresionas tractasse censebimus', quamquam Porphyrius praeter pompam publicam maiorem — sive Pyanopsiorum sive Thargeliorum — nihil exscripsit[29]).

cum autem etiam hanc pompam Soli et Horis duci dicat, Theophrastum, nisi Porphyrium illius verba ita male contraxisse, ut quae de iresionis privatis dicta erant, ea ad pompam publicam referret, putare vis, — Theophrastum dico ipsum pompam illam Soli et Horis attribuisse iudicandum est. Theophrastus igitur, cum de cultibus rusticis antiquissimis ageret, quid ipse de illa pompa censeret, scilicet ab initio non Apollini, sed eis numinibus agrestibus, quibus iresionae privatae portabantur, etiam pompam et iresionas publicas ductas esse, breviter dixit. nam Apollini 'tamquam Soli' (Mommsen p. 486) fruges offerri Theophrastus me iudice non scripsit, cum neque unde Horae sumptae sint intellegi possit neque Apollinem cum Sole confundere illius esset. quod autem de iresionis Theophrastus dixit per grammaticos ad Aristophanis scholiastam pervenit[30]).

itaque Soli et Horis iresionas privatas missas esse pro certo habeo. sed cuinam numini Thargeliorum et Pyanopsiorum iresionae publicae ductae sint, ultra quaerendum est. publicum enim Solis cultum Athe-

---

[29]) hunc locum quomodo Mannhardtius ad iresionas privatas referre potuerit parum intellego, cum verba ipsa unam, ergo publicam pompam dilucide significent: *ἡ Ἀθήνησιν ἔτι καὶ νῦν δρωμένη πομπή.*

[30]) hinc fortasse Harpocrationis verba s. v. *Πυανόψια* intellegimus: *Ἀπολλώνιος καὶ σχεδὸν πάντες οἱ περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑορτῶν γεγραφότες Πυανεψιῶνος ἑβδόμηι Πυανέψια Ἀπόλλωνι ἄγεσθαί φασι.*

niensem non solum tribus titulis aetate Romana incisis[31]) et uno, qui Macedonum temporibus sculptus est[32]), novimus, sed etiam Lysimachidis heortologi testimonio, quod est apud Harp. s. σκῖρον[33]). vel antiquioribus igitur temporibus hunc cultum exstitisse certum est.

sed in Atthide Pyanopsiorum iresiona publica Apollini offerri dicebatur. quod e lexicis[34]) et e Plutarchi vitae Thesei capitibus XXII. et XXIII. elucet. accedunt scholia in Aristophanem praeter illud unum. Pausanias autem in lexico Attico haec fere scripsit: *εἰρεσιώνη θαλλὸς ἐλαίας ἐστεμμένος ἐρίωι προσκρεμαμένους ἔχων διαφόρους ἐκ γῆς καρπούς· τοῦτον ἐκφέρει παῖς ἀμφιθαλὴς καὶ τίθησι πρὸ θυρῶν τοῦ Ἀπόλλωνος ἱεροῦ ἐν τοῖς Πυανοψίοις.* tum idem aetium Theseum, quod apud Plutarchum est, ex Atthide sequitur. Apollini igitur Pyanopsiorum iresiona ducebatur atque item de Thargeliorum iresiona publica iudicandum est.

restat, ut pompa illa, quae apud Porphyrium est, utrum ad Thargelia an ad Pyanopsia referenda sit, diiudicemus. quod, cum Solem et Horas e sollemnibus publicis removerimus, facile fieri potest; nam talia, qualia Porphyrius enumerat, in Thargeliorum pompa ducta esse ex Hesychii verbis apparet. contra Pyanopsiis praeter iresionam — nam Oschophoria huc non pertinent — nullam pompam institutam esse vidimus. lectisternium enim erant *τὰ Πυανόψια.*

ΒΕΝΔΙΔΕΙΑ.

Bendideis undevicesimo Thargelionis die duae pompae in Piraeo ducebantur[1]). cum autem vel anno 429./8. Bendis dea publica Atheniensis fuerit[2]), magnum sacrificium, quod res publica Atheniensis saeculo quarto Bendidi faciebat[3]), iam quinto saeculo factum esse censebimus. quos boves Piraeenses ipsi in pompa ducebant, cum Thraces proprios offerrent. ambas autem pompas eodem tempore ductas esse ea de causa veri simile est, quod Graeci omnes pompas, quibus superis hostiae offerebantur, tempore matutino ducebant[4]). Thracum igitur pompam Atheniensium

---

[31]) III 126 et 202; 313. in sella quae in theatro reperta est: *ἱερείας Ἡλίου.* unde cultum publicum fuisse videmus.

[32]) II 1585.

[33]) Toepffer Att. Gen. p. 120 sq., cf. i. Scirophoria not. 4.

[34]) Pausanias atticista apud Eustath. p. 1283, 6 sqq., Suid. (= schol. Arist. Plut. 1054), Et. M. *εἰρεσιώνη.*

[1]) Plat. res publ. p. 327a cum scholio, cf. p. 354a; Procl. ad Tim. p. 9b, 27a.

[2]) CIA I 210 (fr. k).

[3]) CIA II 741 A fr. a et b.

[4]) v. Dionysia not. 9.

vestigia secutam esse conicio, sed ita, ut hostiarum agminibus separatis inter se pompae non permiscerentur. quod cum Platonis verbis bene convenit. quas pompas fortasse etiam ii, qui vespere certamen cum facibus instituturi erant, equites sequebantur[5]). ducebatur autem utraque pompa ad Bendideum, quod prope Dianae Munichiae sacrum in summo colle situm erat; quo Piraei via pulcherrima linea recta a foro videtur duxisse[6]). qua in via pompae eum, quem Socrates et Glauco viderant, aspectum splendidum praebebant.

atque haec quidem satis certa sunt. sed num etiam spicarum manipuli, quales Thracum et Paeonum feminae sacrificabant[7]) et Athenis quoque Bendidi oblatos esse veri simile est[8]), in Bendideorum pompis ducti sint, confici nequit. tamen hac e consuetudine fortasse sollemnium naturam perspicimus. quo tempore enim messis fiebat, eo Thraces Bendidi gratiam ita referebant, ut Iones Apollini Thargelio. quod autem Bendidea quindecim fere dies post Thargelia celebrabantur, e Thraciae situ septentrionali intellegitur — si modo Bendideorum dies a Thracum sollemnibus sumptus est. cum autem Athenienses saeculo quinto Bendidea reciperent, pompae novae iam splendidiores erant, quam quibus solae spicae simplices deducerentur[9]). quare boves multos offerebant.

ΠΛΥΝΤΗΡΙΑ.

quae de Plynteriis certa novimus haec sunt: cum Callynteriis coniuncta[1]) Thargelione Minervae[2]) ita celebrabantur, ut temporibus antiquis Callynteria die undevicesimo, Plynteria a. d. III. Cal. Scirophorionis[3]), posterioribus VII. Cal. Scir. celebrata esse videantur[4]). Callynteriis autem templum purgatum esse veri simillimum est[5]), Plynteriis Praxiergidae templo funibus saepto[6]) Minervae Poliadis simulacrum ligneum ornatu exuebant et amictu obvolvebant[7]). praeterea Plynteriis pompam, in qua *ἡγητηρία* placenta e ficis cocta portabatur, ductam esse scimus[8]).

---

[5]) Plat. l. c. p. 329 a.

[6]) Xen. hell. II 4, 10—11; Wachsmuth Stadt Athen II p. 132 sq.

[7]) Herod. IV 33.

[8]) CIA I l. c. unde nisi Herodoto collato nihil sequeretur.

[9]) Thesea Disoteria Hephaestia Asclepiea.

[1]) Phot. *Καλλυντήρια καὶ Πλυντήρια.*

[2]) Plut. Alcib. XXXIV.

[3]) Phot. l. c.

[4]) Plut. l. c., cf. de Prott fasti sacri p. 6; contra Mommsenius p. 491. Photii verba neglegenda esse iubet. qua in quaestione commorari huius loci non est.

[5]) Mommsen p. 476 sq, cf. Philoch. in schol. Hes. op. et d. 812.

[6]) Poll. VIII 141.

[7]) Plut. l. c., Xen. hell. I 4, 12, Hes. *Πραξιεργίδαι,* cf. Toepffer Att. Gen. 133 sq.

[8]) Hes. et Phot. s. v. (unde Et. M. et Eustath. p. 1399, 30).

accedunt nonnulla testimonia, quae utrum ad Plynteria referenda sint necne, videndum est. ac primum quidem Philochorus, cum de nomophylacibus ageret, eam pompam, qua Minervae simulacrum ligneum ad mare deduceretur, illos ordinasse dixerat[9]). quam pompam simul cum nomophylacum munere institutam et post paucos annos[10]) abolitam esse nemo dicet. immo et antea et postea hanc pompam exstitisse censendum est[11]). quacum tituli ephebici coniungendi videntur esse[12]): *συνεξήγαγον δὲ καὶ τὴν Παλλάδα Φαληροῖ κἀκεῖθεν πάλιν συνεισήγαγον μετὰ φωτὸς μετὰ πάσης εὐκοσμίας. — συνεξήγαγον δὲ καὶ τὴν Παλλάδα μετὰ τῶν γεννητῶν καὶ πάλιν συνεισήγαγον κτλ.*

quam pompam post Dittenbergerum[13]) omnes Plynteriis adscripserunt[14]); nam neque alia sollemnia, quibus deae simulacrum ad mare duci potuerit, novimus neque facile quisquam eos, qui in titulo altero sunt gentiles Praxiergidas esse negabit. deinde qui factum sit, ut Minerva in templo convoluta Alcibiadem, cum in portum adveniret, repellere videretur[15]), intellegi non posset; sed si dea in Phalero erat, ut a litore ipso homines profanos depelleret, omnes omen malum intellegere debebant[16]). cerimonias autem, quae in Phalero absolvebantur, ut e nomine Plynteriorum, ita inde cognoscimus, quod duae puellae *λουτρίδες* sive *πλυντρίδες*[17]), quibus Minervae simulacrum curae erat, et *κατανίπτης* magistratus sacer[18]) exstabant. certo igitur in Phalero simulacrum ligneum lavabatur, veri similiter etiam peplus.

sic autem pompa conformata videtur esse: simulacrum ornatu exutum et amictu convolutum, quod Praxiergidae curru sive lectica usi ad Phalerum ducebant, magistratus certi, Demetrii Phalerei temporibus nomophylaces, et cives ab arce per viam pompicam, deinde per portam Itoniam ex urbe prosequebantur[19]). postea autem cum Praxiergidis etiam ephebi

---

[9]) in Atthidis l. VII, Harp. *νομοφύλακες*, Poll. VIII 94 (*τὴν δὲ πομπὴν πέμπουσι τῇι θεῶι*), lex. Cant. *νομοφύλακες*, Phot. = Suid. *οἱ νομοφύλακες τίνες; — — καὶ τῇι Παλλάδι τὴν πομπὴν ἐκόσμουν, ὅτε κομίζοιτο τὸ ξόανον ἐπὶ τὴν θάλασσαν.* cf. de Wilamowitz Ar. u. Ath. II p. 192, 6.

[10]) cf. de Wilamowitz l. c.

[11]) illis temporibus magistratus alii, sed nobis ignoti pompam ordinabant.

[12]) CIA II 469 v. 9, 470 v. 10, 471 v. 11 et 75.

[13]) de ephebis atticis p. 63.

[14]) Mommsen p. 494, Toepffer p. 135, Preller-Robert I p. 209, 3, Stengel Hdb. p. 215.

[15]) Xen. et Plut. l. c.

[16]) Mommsen p. 494.

[17]) Phot. s. v. Aristophane teste, cf. Hes. paulo breviorem. utriusque fons Diogenianus videtur esse.

[18]) Et. M. = lex. Seguer. V. (Bekker p. 269).

[19]) cf. Panathen. not. 164, Myster. not. 11.

simulacrum deducebant. qua in pompa παλάθη ἡγητηρία expiandi causa portabatur[20]).

tum in Phalero reliquis dimissis λουτρίδες deam nudam lavabant[21]) atque simul cum κατανίπτῃ peplum videntur lavasse. quae dum fiunt, occidit sol: taedis igitur inflammatis Minerva rursus in arcem deducebatur[22]). quae autem Plynteriis sacrificabatur ovis tunc demum immolata videtur esse[23]).

iam testimoniis perquisitis et ritibus adumbratis, quae Plynteriorum natura fuerit videamus. Callynteriis autem templum purgatum, Plynteriis et statuam et vestem lotam esse vidimus neque quicquam subtilius subesse suspicandum est. qualem cultum simulacrum ligneum poscebat[24]); atque aliis quoque locis templa aestate ineunte purgabantur[25]).

sed apud omnes populos pios purgationes simul expiationes sunt atque semper lavacrum expiationis symbolum est[26]). cum autem homines lavando expiarentur, deorum lavacra etiam magis sacra erant. expiandi igitur vi Plynteria quoque praedita fuisse censendum est. quod satis multis argumentis confirmatur. ac primum quidem Plynteriorum dies erat ἐν ταῖς μάλιστα τῶν ἀποφράδων[27]). deinde tempus pomeridianum purgationibus aptum fuisse e Philochoro scimus[28]); facium autem et fico-

---

20) duas pompas Plynteriis ductas esse veri simile non est neque placenta sufficeret ad pompam instituendam.

21) quod Praxiergidis viris certo non licebat. e nomine autem, quod est πλυντρίδες, puellas peplum quoque lavasse sequitur; nam verbum πλύνειν ad homines non pertinet.

22) num faces iam tum, cum dea ex urbe ad Phalerum deduceretur, arserint, confici nequit. sed fieri potuisse ex ea, qua faces praeditae erant, expiandi vi elucet. velut ἀμφιφῶντες die in Munichiorum pompa portabantur. quod etiam hodie in pompis sacris videmus. cum autem tituli verba neque huic neque illi opinioni faveant, ut illam praeferam eo commoveor, quod nisi noctu pompam non rediisse aliis de causis veri simile est et quia faces cum dea denuo in suum sacrum ducta bene conveniunt (Ar. Plut. 1191 sqq., cf. Dionysia not. 17).

23) CIA I 3 suppl. I 1.

24) cf. Veneris et Suadae simulacra, quae lauta et denuo purpura picta sunt, CIA IV 2, 314 c v. 26—27, v. i.

25) die XVII. Cal. Iul. Romae Vestae aedes purgabatur, v. Cal. Philoc., Cal. Maff. et Venus. XVII. Cal. Iul., Varro de l. l. VI 32, Festus p. 250 a 34, 344 b 13, cf. Jordan Tempel der Vesta p. 70. Marquardt Roem. Staatsverw. III p. 333.

26) A 314; v. s. mystarum lavacrum, cf. Preller-Robert I p. 788, 1. Eur. Iph. Taur. 1193 θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά. — cf. Peruanorum lavacrum, Mannhardt Mythol. Forsch. p. 141.

27) Plut. l. c.

28) in schol. Hes. op. et d. 812; accedit Androtio testis, cf. de Wilamowitz Ar. u. Ath. I p. 280, 32.

rum vis purgatoria notissima est. denique ovis, inferorum hostia, noctu, quantum quidem videtur, immolabatur[29]).

at omnia ea testimonia neglegimus, quae cum Aglauro Plynteria ita coniungunt, ut vel illius inferiae esse videantur[30]). sed primum quidem non multa sunt, sed unum[31]), deinde aetium esse ad ritus illustrandos fictum facile perspicitur[32]). quem ad finem quam apta Aglauri fabula non solum fuerit sed etiam hodie sit, inde videmus, quod nuper Mommsenius ea usus est, ut novum aetium fingeret[33]).

ΣΚΙΡΟΦΟΡΙΑ.

cum de Scirophoriorum natura virorum doctorum opiniones valde discrepent[1]), tamen simplex est, quod de pompa, quae Scirophorionis die duodecimo ducebatur[2]), scimus. quare a pompae ritibus enarrandis orsi, num forte ex iis ad sollemnium naturam illustrandam aliquid lucis deduci possit, videamus.

ac primum quidem inter alios Lysimachides heortologus dixerat[3]) *σκῖρον* appellari umbellam illam magnam, qua tecti Minervae Neptuni Solis[4]) sacerdotes ab arce irent *εἴς τινα τόπον καλούμενον Σκῖρον*; ab Eteobutadis autem umbellam portari. accedit schol. Ar. Eccl. 18., ubi Erechthei sacerdotem umbellam albam *σκῖρον* appellatam portasse legimus.

---

[29]) simillima sunt sollemnia Argiva, quibus Minervae simulacrum cum Diomedis scuto ad lavacrum in Inacho vehebatur; ubi equae sacrae currum trahebant. sed nec Magnae Matris lavacrum in Almone nec Nerthi apud Germanos huc referendum est; nam numquam Minerva satorum arbustorumque numen (*δύναμις αὐξητικὴ*) nec Plynteriorum lavacrum fascinatio erat, quo imber alliceretur.

[30]) Hes. *Πλυντήρια* et *Ἄγλαυρος*, Phot. *Καλλυντήρια*, lex. Seguer. V. p. 270. Bekker.

[31]) e Diogeniano haustum esse comparando facile videmus. qui unde fabulam sumpserit definiri nequit.

[32]) is, qui aetium finxit, Callynteria perperam intellexit atque ne Plynteria quidem bene.

[33]) p. 497 sqq. quam fabulam originem inde duxisse puto, quod nymphae agrestis sacrum sub Minervae Poliadis templo veteri in rupibus situm erat, scalis cum arce coniunctum (Paus. I 18, 2; Herod. VIII 53; Eur. Ion 492 sq.; cf. Milchhoeferum apud Baumeisterum I p. 172 A, de Wilamowitz Ar. u. Ath. I p. 270).

[1]) Mommsen p. 504, Robert Herm. XX p. 349 sqq., Rohde Herm. XXI p. 116 sqq. Toepffer Att. Gen. p. 119 sqq.

[2]) schol. Arist. Eccl. 18.

[3]) Harp. *σκῖρον* (= Phot. = Suid.; sed hi Lysimachidis nomen omiserunt).

[4]) Solem non Apollinem Thargelium esse Toepffer monet p. 120 sq., cf. quae exposui in Thargeliorum excursu. accedit quod ipse Sol *σείριος* appellabatur (Archilochus apud Hes. *σείριος* et *σειρίου κυνὸς δίκην*, cf. Aeschyli versus Ag. 933 sq. (*σκιὰν ὑπερτείνασα σειρίου κυνός*).

quod ut a Lysimachidis verbis non discrepat[5]), ita umbellam albam fuisse docet[6]). deinde *Διὸς κώιδιον* in pompa portatum esse veri simile est[7]); denique victimae, fortasse oves[8]), in pompa ducebantur[9]); atque ne qua via quidem agmen processerit dubitari potest, cum via pompica pateat, quae circum Areopagum, per forum, per Ceramicum ad Dipylum ducebat[10]).

vertitur autem pompae natura in umbella illa alba quasi cardine. quod veteres quoque senserunt, cum explanationes varias proferant, partim satis ineptas. mirum autem est quod Lysimachides dicit umbellam domorum aedificandarum symbolum esse, quia illud tempus aedificando maxime sit aptum[11]). deinde id, quod in lexico Segueriano quinto traditur, Minervam umbellam invenisse, falsum esse videbimus. rectius contra is iudicavit, qui scripsit *Σκίρα· ἑορτή τις ἀγομένη τῆι Ἀθηνᾶι ὅτε σκιαδείων ἐφρόντιζον ἐν ἀκμῆι τοῦ καύματος. σκίρα γὰρ τὰ σκιάδεια.* hic enim cerimoniae sensum simplicem tetigit, quamquam solam eam, quae in pompa ducebatur, umbellam *σκῖρον* appellari nescivit[12]).

quibus de testimoniis cum Robertus recte dicat[13]) nihil amplius, quam quod dixerint, veteres significare voluisse, tamen in istis explanationibus acquiescere non debemus. nam cur umbella ad Scirum portabatur, ubi ne Minervam quidem fuisse Robertus — recte, quantum mihi quidem videtur — censet?[14]) num sol in Sciro magis flagrabat, quam ceteris locis Atticis? certo non magis, sed vetustissimae arationis sacrae locum Scirum factum esse, postquam Eleusis Athenis subiecta esset, idem

---

[5]) nam Neptuni Erechthei sacerdos Eteobutades erat, cf. Toepffer p. 114. complures Eteobutades umbellam portasse e Lysimachidis verbis nemo colliget.

[6]) quod tamquam nominis interpretatio vilis contemnendum non est. immo color albus umbellis aptissimus est. quare facile fieri potuit, ut certis de causis, de quibus infra egi, umbella *σκῖρον* appellaretur. simplicem igitur rem scholiasta simpliciter narrat.

[7]) Suid. s. v. unde expiationem accedere videmus; quam non in arce, sed in Sciro factam, pellem igitur in pompa portatam esse, infra demonstrare conatus sum (not. 20).

[8]) cf. tit. Tetrapol., de Prott fasti sacri p. 49, n. 26 B, et sacrificium, quod Plynteriis fiebat (CIA I 3 suppl. I 1). cum expiatione enim oves bene conveniunt.

[9]) schol. Ar. Thesm. 834 *Σκίρα — ὅτι ἐπὶ Σκίρωι* (Fritzsche: *ἐπίσκυρα*) *θύεται τῆι Ἀθηνᾶι*, cf. Steph. Byz. *Σκῖρος — ὅτι ἐπὶ Σκίρωι Ἀθήνησι θύεται* (quem secuti scholiastae verba *τῆι Ἀθηνᾶι* mutare non debemus, cf. Rohde l. c. p. 119. sed ne apud Stephanum quidem *τῆι Ἀθηνᾶι* scribendum est: nam scholiasta locum significare non debebat, debebat Stephanus).

[10]) v. Panathen. not. 164.

[11]) hic fortasse in scirapheorum similitudine haesit (cf. Harp. Phot. Suid. Et. M. s. v.). de quibus quomodo iudicandum sit non magis scio quam grammatici veteres.

[12]) Phot. et Suid. *σκῖρον*, lex. Seguer. V. p. 304, 2 Bekker.

[13]) p. 361.

[14]) p. 357 sq.

Robertus pulcre coniecit[15]). qua in loci natura insistendum est; prope enim abest a solsticio Scirophorionis dies duodecimus, e vertice radios dimittit sol terrae bestiis hominibus infensus, iam albo calcis pulvere plantae operiuntur; tutelam igitur homines et ipsis et terrae petunt. quam dei sive ventis missis sive aere refrigerato praebeant: tutelae symbolum simplex umbella est, quae cum a sacerdote portaretur, homines simplici conclusione ex analogia usi deos quoque quasi umbellam supra terram tenturos esse exspectabant. quod symbolum cum antiquitatem prae se ferat, vel vetustissimis temporibus ad arationis sacrae agrum in pompa, qua numina agrestia placarentur, ductum esse putandum est. sed cuius formae vel ante saeculum quintum videtur fuisse[16]), umbellae dico arteficiose factae, eius antiquitus esse non poterat. immo initio tectum frondeum portatum, postea umbellam populis orientalibus usitatam receptam esse censebimus[17]). quod symbolum rusticum cum ad agrum sacrum portaretur, utrum illic Minervae sacrum fuerit necne, exigui

---

[15]) p. 378, e Plut. praecept. coniug. XLII.

[16]) nam tum Minerva iam umbellas multas possidebat, quae cum tota supellectile sacra in pompa Panathenaica portabantur.

[17]) hoc paulo accuratius demonstrare in animo est. ab Hesychii autem glossa exeamus: *σκιάς· ἡ ἀναδενδράς. καὶ σκηνὴ ὠροφωμένη. καὶ τὸ θολῶδες σκιάδειον, ἐν ὧι ὁ Διόνυσος κάθηται. καὶ τὸ πρυτανεῖον. καὶ κλάδοι εὐμεγέθεις σκιάδες λέγονται. κτλ.* idem ad Photium pervenit, qui s. v. *σκιὰς καὶ σκιάδειον* Eupolin testem citat (Meineke 2, 575), cf. Poll. VII 174, X 127. quae veterum et scriptis et titulis et monumentis confirmantur; nam in hymno Delphico talis casa frondea, quae Baccho exstructa est, commemoratur (BCH XIX p. 409, hymni v. 140., cf. scriptorum locos, quos Weilius contulit) et permagnis vitibus Bacchus non solum cum in nave aut in carro navali sedeat, sed etiam cum in thiaso procedat aut stet aut in sella sedeat opacatus multis in vasculis pictus occurrit. cf. Aesch. Ag. 471 Kirchhoff *κήρυκα — κατάσκιον κλάδοις ἐλάας*, Suppl. 332, 340. accedunt quae Athenaeus e Callixino Rhodio refert de Bacchi et Nysae simulacris in Ptolemaei Philadelphi pompa vectis (V p. 198 d et f). qualibus ramis ab imo muro ascendentibus Graeci solaria tegebant: *ῥίζης γὰρ οὔσης φυλλὰς ἵκετ', ἐς δόμους σκιὰν ὑπερτείνασα σειρίου κυνός* (Aesch. Ag. 933 sq.): Italorum 'loggia' est. huc etiam casae frondeae pertinent, quas Lacedaemonii Carneis exstruebant (Demetr. Sceps. apud Athen. IV p. 141 f.). sub huiusmodi tecto frondeo igitur tamquam tutelae symbolo sacerdotes videntur processisse. sed apud populos orientales antiquitus et dei et reges atque nobiles umbellis arte factis utebantur. quem morem Polycratis temporibus Sami invenimus (Anacr. *εἰς Ἀρτεμῶνα* v. 13), quinto saeculo Athenis (velut apud comissantes in cratere qui est Scavi della Certosa tab. XXXIX), sed apud Graecos viri, qui solem umbellis arcebant, semper tamquam muliebres illudebantur, apud Athenienses etiam magis, quam apud Ionas *ἁβροβάτας*, cf. Pherecratis *Ἰπνὸν ἢ Παννυχίδα* apud Athen. XIII p. 612 a (Meineke 2, 276), Eupolidis *Ταξιάρχοις* de Wilamowitz Kydathen p. 66 (Meineke 2, 575). ut autem quam simplicissimis domibus cives, quam splendidissimis dei Athenienses habitabant, ita deis umbella luxuriosa concessa est; quod fortasse vel satis antiquis temporibus factum est. cur autem Bacchi vitis expulsa non sit, ultro apparet.

momenti est[18]); nam illo in agro sacra rustica erant facienda, quod vel ara simplici e caespite exstructa fieri poterat. si igitur temporibus antiquissimis buzygium sub arce arationis sacrae locus erat, pompam illud adiisse iudicandum est.

cuius cerimoniae nomen antiquum ignoramus, nam antequam Eleusis cum Athenis coniuncta est, neque Scirophoria sollemnia nec mensis Scirophorion videntur exstitisse. sed ubi eodem die Cereris sollemnia, quibus vera *σκῖρα* portabantur, instituta sunt, iam cerimoniae diversae aliquo modo coniungi debebant. ac primum quidem imperatum est, ut pompa vetus ad novum agrum sacrum in Scirum duceretur, postea etiam umbella illa alba *σκῖρον* est appellata, ut haec quoque cerimonia nomine Scirophoriorum significari videretur, denique e Sciri loci heroe eponymo, qui in tumulo illo, quem Pausanias vidit (I 36, 4), sepultus esse dicebatur, vates Eleusinius, qui hoc loco occisus sit, est factus. aetium igitur, non origo sacrorum, quae in Sciro fiebant, Sciri vatis inferiae sunt[19]). nam multo antiquior quam Cereris Scirophoria ea pompa est, in qua umbella portabatur; supplicatio enim est eis numinibus missa, quorum sacerdotes sub umbella procedebant, Minervae Poliadi, Neptuno Erechtheo, Soli. Sol autem, cui coniuncto cum Horis rustici iresionas portabant, prae ceteris placandus erat, ut iam dona benigna moderaretur. cuius dei fortasse ea expiatio, quam pelle subposita sacerdotes faciebant[20]), ita erat, ut sacrificia illa Minervae, nisi et hanc et illa Minervae Neptuno Soli simul facta esse censeas.

denique cerimoniis finitis umbella sacra rursus in arcem deducebatur.

ΔΙΣΩΤΗΡΙΑ.

Disoteriis Piraeensibus[1]), quae decimo quarto Scirophorionis die celebrata videntur esse[2]), Iovi Salvatori et Minervae Salvatrici pompa

---

[18]) Minervae sacrum illic fuisse non videtur. cuius rei argumentis Robertus nuper novum atque grave addidit, Goett. gel. Anz. 161, VII p. 541.

[19]) Robert p. 377.

[20]) ad agrum sacrum umbella portabatur, in Sciro sacrificia fiebant: certo igitur etiam expiatio illic facta est. ergo *Διὸς κῴδιον* item atque Pompaeis in pompa portatum esse statuendum est.

[1]) Iovis Salvatoris sive Liberatoris porticum post bellum Medicum in foro Atheniensi conditam esse Didymus tradit (Harp. Hes. *ἐλευθέριος Ζεύς*, Suid. = Et. M. *ἐλευθέριος ὁ Ζεύς*, schol. Ar. Plut. 1175, alii). quod ita intellego, ut Iovi Salvatori antiquo (Preller-Robert I p. 151, 3) tunc demum Liberatoris cognomen datum esse putem. quem cultum etiam in Piraeo non multum post pugnam Salaminiam, qua classis Graeciam liberaverat, fortasse simul cum porticu urbana, institutum esse censendum est. quo autem splendore postea et sacrum et cultus Piraeensis eminebant, ad eum illo tempore, quo Hippodamus Piraeum aedificavit, videntur crevisse.

[2]) Disoteria urbana a Piraeensibus separanda sunt; ut enim illa ultimo anni

splendida ducebatur[3]). quam archonti curae fuisse Aristoteles tradit[4]), epimeletas ordinasse e titulis elucet[5]). canephoros autem, quae canistra sacra et vasa aurea et argentea e dei thesauro sumpta portabant, hostias praecessisse veri simillimum[6]), postea ephebos taurum proprium in pompa duxisse certum est[7]). inter magistratus vero atque cives archon cum epimeletis primum locum obtinebat.

quae pompa a foro profecta per unam ex Hippodami viis directis ad Disoterium, quod in summo colle situm erat[8]), videtur processisse[9]). cum autem praeter deos Salvatores etiam Aesculapio, Hygieae, aliis numinibus medicis simul sacra facta sint[10]), pompam Aesculapii sacrum, quod in sinistra situm erat[11]), adiisse putandum est.

ergo pompa a foro in meridiem fere procedebat, donec sub Aesculapii sacro advenit; tum in sinistram et in orientem retorta deis medicis hostias offerebat. denique rursus in viam pompicam ingressa ad Disoterium ascendebat.

eiusdem igitur formae atque aliae pompae, quae saeculo quinto institutae sunt, etiam Disoteriorum pompa est[12]).

Attici die, ita haec plenilunio ultimo celebrabantur. Piraeensia autem sollemnia iam saeculo quarto multo magis quam urbana videntur splendidisse, cf. Wachsmuth Stadt Athen II p. 143, 1, Boeckh CIG I p 251, Staatshaushalt² II p 110, 1 (Fraenkel), Koehler ad CIA II 471 v. 30., Dittenberger Syll. 374 not 15, Robert Goett. gel. Anz. 161, VII p. 527, qui recte unum titulum IV 2, 373 c (praeter titulos ephebicos) huc referendum esse dicit.

3) CIA IV 2, 373 c, 192 c.

4) Ἀθ πολ. LVI 5, qui locus quin huc referendus sit dubitari nequit.

5) IV 2, 373 c.

6) II 1387. Iovis Salvatoris pompea e tit. II 162 fr. c v. 13 colliguntur.

7) II 466 v. 23, cf. 469 v. 21.—22., 471 v. 30. in tituli 469. alterutra lacuna pompae mentionem factam esse veri simillimum est, nam cum in altera certo tauri sacrificium fuerit, navium certamini, quale occurrit in titulo 471., neque verba conveniunt neque spatium est in prima.

8) Lycurg. Leocr. 17, cf. Paus. I 1, 3.

9) Wachsmuth l. c. p. 141 sq., CIA IV 2, 192 c, cf. Piraeorum not. 6 et 7.

10) CIA IV 2, 373 c. minora numina medica v. in titulis Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 84, CIA II 1651.

11) schol. Ar. Plut. 621, Ἐφ. ἀρχ. l. c. et p. 219 (CIA II 1504), 1885 p. 88. Wachsmuth l. c. p. 147. sacrum ab ea linea, quae Zeae et Munichiae theatra coniungit, in occasum, a pompae via in orientem versus situm erat.

12) cf. Thesea Bendidea Hephaestia Asclepiea.

b. temporis incerti.

ΠΟΜΠΗ ΤΗΙ ΑΦΡΟΔΙΤΗΙ ΤΗΙ ΠΑΝΔΗΜΩΙ.

Veneri *Πανδήμωι* antiquitus[1]) pompa ad fanum, quod in arcis clivo meridionali situm erat[2]), ducebatur[3]), fortasse non multum post anni Attici initium[4]). qui cultus cum esset publicus[5]), sacrificium a re publica factum esse concludemus. cum autem sollemnium nomine omisso sola pompa in titulo publico nominetur[6]), illam principalem fuisse cerimoniam, victimas igitur in pompa oblatas esse apparet.

ΠΟΜΠΗ ΤΑΙΣ ΣΕΜΝΑΙΣ ΘΕΑΙΣ.

Eumenidibus Athenis ab Hesychidis pompam ductam esse Polemo tradit[1]). item Callimachus Hesychidas feminas sacra *νηφάλια* fecisse dicit[2]): gentilicius igitur cultus videtur fuisse. sed hieropoeos ad Eumenidum sacra facienda publice creatos esse e Demosthene et e Dinarcho colligimus[3]): ergo Hesychidae cultum publicum curabant[4]). pompam autem eam, quam Polemo testatur, Aeschylus in Eumenidum exodo a Minerva institutam inducit. quem, ut theatrum, quid significare vellet,

---

[1]) Paus. I 22, 3 et CIA IV 2, 314c; Foucart BCH XIII p. 156 sqq., de Wilamowitz comment. gramm. IV p. 25, 1. cf. Apollod. *περὶ θεῶν* et Nicand. *Κολοφωνιακά* (l. VI.) apud Harp. *Πάνδημος Ἀφροδίτη*. ad templi vetustatem demonstrandam sufficerent vel ea, quae in titulo sunt, simulacra lavanda et purpura pingenda: Pausaniae enim *παλαιὰ ἀγάλματα* lignea sunt.

[2]) Paus. l. c., U. Koehler Ath. Mitt. II p. 175. Foucart l. c. p. 157 sq.

[3]) tit. v. 22. *ὅταν ἦι ἡ πομπὴ τῆι Ἀφροδίτηι τῆι Πανδήμωι.*

[4]) tit. v. 6—7: ultimo anni die agitur de sollemnibus praeparandis.

[5]) quod e titulo certum est.

[6]) v. not. 3. quae saeculo tertio ineunte novimus Aphrodisia a meretricibus celebrata (Alciphr. Ep. II 1, 3 et 8) huc pertinere non videntur.

[1]) in Eratosthenem, apud schol. Soph. O. C. 489. Toepffer Att. Gen. p. 170 sqq.

[2]) ex eodem scholio Schneider II 123.

[3]) Dem. XXI 115, Din. Et. M. *ἱεροποιοί* p. 469, 12.

[4]) cf. not. 12. sed Mommsenius haec sollemnia nullo verbo tetigit.

facile intellegeret, suae aetatis ritus accurate expressisse necessarium erat; quare illius verbis tamquam fonte egregio uti possumus. accedunt ea, quae de temporum posteriorum consuetudine Philo *ψευδώνυμος* e fontibus Stoicis hausit[5]). denique collatis Polemonis in Timaeum verbis[6]), Callimachi quodam versu[6]), Sophoclis versibus, qui sunt in Oedipode Coloneo 470 sqq.[7]), hanc fere pompae formam restituimus: ante pompam, quam noctu[8]) ad Areopagi speluncam sacram[9]) ducebant, faces portabantur[10]). deinde Minervae Poliadis sacerdos cum suis feminis anibus puellis nobilibus[11]) hostias (oves, quantum quidem videtur[12])) praecedebat. quas Hesychidae feminae cum vasis liborum lactis mellis aquae plenis[13]), quae in labris et in ansis filis laneis erant obvoluta[14]), sequebantur[15]). tum

---

[5]) quod omn. prob. lib. p. 886, cf. Ausfeld de libro *περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον* diss. Gott. 1887 cap. II.

[6]) in scholio Aeschin. I 188, cf. Wellmann de Istro Callimachio p. 14, Toepffer l. c. p. 170, 3, satis grave testimonium, e quo *νηφάλια* illa, quae sunt apud Callimachum l. c. in pompa ducta esse elucet: *ἦν δὲ τὰ πεμπόμενα αὐταῖς ἱερὰ πόπανα καὶ γάλα ἐν ἄγγεσι κεραμικοῖς.* recto igitur Schneider Callimachi verba *αἱ δὲ πάγον φορέουσιν ἐπ' Ἄρεος* (II 166) ad *νηφάλια* retulit (Toepffer p. 175). accuratius Polemo voce *πόπανα* utitur, Philo liberius voce *πέμματα*. *νηφάλια* sunt liba lac mel aqua.

[7]) quod de Eumenidibus, quae in Colono colebantur, valet, huc referri potest; nam et his et illis *νηφάλια* eisdem cerimoniis oblata esse veri simillimum est. semper enim termitum et filorum laneorum vis eadem est atque postea etiam Oedipodis tumulus in Areopago esse dicebatur (Paus. I 28, 7; Valer. Maxim. V 3, 3).

[8]) Eumen. 108. Kirchhoff.

[9]) *χάσμα χθονός* Eur. El. 1271.

[10]) Eum. 983. faces noctu ante pompam portatas esse per se necessarium est. quas inferorum sacras fuisse et semper, cum cultus novi instituerentur, esse portatas supra dixi (Dionys. not. 17, Plynter. not. 22). quod fortasse ea de causa fiebat, ut numinibus novis statim ignis castus paratus sit. cf. v. 1007 sqq.

[11]) v. de Wilamowitz Griech. Trag. II p. 296 sq. lacunam post v. 1005 K. hiare Hermannus perspexit. Minervae autem feminas sacras in canephororum modum ante hostias processisse ex Aeschyli versibus 981 et 1000 sq. comparatis inter se elucet: ipsa enim Minerva cum *προσπόλοις* pompam ad speluncam sacram ducit.

[12]) v. 984 *σφάγια σεμνά. μῆλα*, imprimis oves tamquam *σφάγια* immolatas esse constat, de Wilamowitz Herm. XVII 339, Stengel Herm. XXI p. 311, Toepffer p. 172, 1. Hesycho antea aries immolabatur, Polemo l. c. — ea de causa, quod Eumenides cum Hesycho coniunctae sint, factum esse, ut etiam Eumenidum cultus publicus Hesychidis traderetur, Toepffer pulcre coniecit (p. 173). quod ne tum quidem, si tres deae erant, tollitur (Rohde Psyche² I p. 269, 2, Preller-Robert I p. 837, 1).

[13]) Callim. Schneider II 123, cf. not. 6.

[14]) Soph. O. C. 473 sqq.

[15]) hostias ante *νηφάλια* ductas esse ex aliarum pomparum similitudine concludo, cf. Pa[illegible]nis zophorum Michaelis tab. 12; 1—19.

Hesychidae viri et hieropoei cum aliis magistratibus secuti videntur esse[16]), denique cives procedebant atque postea ephebi, qui liba paraverant. cui pompae servos interesse nefas erat[17]).

ΠΟΜΠΗ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΘΕΩΝ.

Magnorum deorum pompam Athenis a saeculo altero ductam esse ex uno titulo ephebico videmus[1]). quae cuius formae fuerit dici nequit, cum ne id quidem, utrum ephebi pompam secuti sint necne, constet. eos autem, qui, cum Cephallenensium[2]), Deliorum[3]), Messeniorum[4]) usum huc referrent, etiam Athenis magnos deos non Cabiros, sed Dioscuros esse putaverunt, ratio fefellit. nam primum ephebi certamen navale in portu instituebant: ergo deis illis necessitudo cum mari erat; perquam probabile igitur magnos deos fuisse Samothracae, qui saeculo altero a multis populis colebantur; eidem autem a multis theologis cum Castoribus confunduntur. accedit quod Anacum deorum Anaceorumque sollemnium nomina Athenis magis valebant, quam quae in titulis ephebicis neglegi potuissent[5]). quae Koehlerus, cum de magnorum deorum cultu Lemno sive Imbro Athenas translato dissereret, iure ne verbo quidem tetigit[6]).

ΑΙΑΝΤΕΙΑ.

Aeanteis, quae antiquitus Salamine[1]), tum, postquam Athenienses Salamina expugnaverunt, Athenis et Salamine celebrabantur[2]), post

---

16) *πολισσοῦχοι παῖδες Κραναοῦ*, Aesch. v. 988 K. archontes defuisse haud facile credam; atque fortasse etiam senatores in pompa procedebant. ceterum illam *πομπῆς ἡγεμονίαν* non ad verbum intellegendam esse ultro elucet. nullius enim pompae in capite magistratus processisse vidimus.

17) Philo l. c.

1) CIA II 471 v. 29 *κα[ὶ] τῆι πομπῆι τῶν μεγάλων θεῶν ἐποιήσαντο τ[ῶν πλοίων τὴν ἅμιλλαν.* — tituli 469. lacunam utramque sic explendam esse conicio: *ἐ[ποιήσαντο δὲ καὶ τῆι πομπῆι τῶν μεγ]άλων θεῶν [ἅμιλλαν ἐν τῶι λιμ]ένι καὶ τοῖς θεοῖς ἔθυσαν καὶ* [— —, cf. 467 v. 20—21.

2) Paus. I 31, 1.

3) cf. titulos, quos collegit de Schoeffer, de Deli insulae rebus p. 238 sq.

4) tit. Andan. v. 33 et 92, cf. Toepffer Att. Gen. p. 221, Preller-Robert I p. 749, 5—750, p. 862.

5) Bloch apud Roscherum Myth. Lex. II 2 p. 2540.

6) in adnot. ad tit. 469.

1) Hes. s. v., Hesiod. Theog. 1005, fr. 100—102, 225 Rzach, cf. Toepffer quaest. Pisistr. p. 23, Pauly-Wissowa I p. 926.

2) lectisternium Athenis paratum schol. Pind. Nem. II 19, Toepffer l. c. p. 927.

pugnam vero Salaminiam amplificata sunt[3]), Salaminii pompam instituebant, qua hostias ad Aeanteum prosequebantur[4]). qua in pompa legatos Athenienses ab initio processisse ea de causa veri simile est, quod postea ephebi, qui sacrificium proprium faciebant, et pompam sequi et multos alios ritus absolvere solebant[5]). cum autem ephebi simul Aesculapio sacrificarent[6]), pompa fortasse illius tangebat sacrum, quod in via pompica situm fuisse suspicandum est. denique archontem Salaminium pompae praefuisse censebimus[7]).

huius igitur formae pompa videtur fuisse: hostias ad herois patrii fanum ductas magistratus Salaminii et legati Athenienses, denique cives Salaminii prosequebantur. postea autem ephebi Athenienses suas hostias simul deducebant et fortasse tota pompa Aesculapii sacellum adibat. qua in pompa num etiam aliae cerimoniae antiquiores factae sint nescimus[8]).

ΚΑΛΑΜΑΙΑ.

Calamaeis demarchum Eleusinium cum hierophanta et cum sacerdotibus feminis Cereri et Proserpinae pompam duxisse et sacrificasse scimus[1]). praeterea Calamaea, quae feminae in Thesmophorio Piraeensi celebrabant[2]), et mensem Calamaeonem apud Cyzicenos et Olbiopolitas novimus[3]). cum igitur ut e nomine, ita e tempore (Munichion — Sciro-

---

[3]) confer Herod. VIII 64 cum titulis ephebicis 467—471. iidem ephebi tropaeum Salaminium (Paus. I 36, 1) adibant et Iovi Tropaeo sacrificabant (CIA II 467 v. 27, 469 v. 17, 471 v. 28 et 71). sed nec dies nec mensis inde definiri potest; nam Athenienses Aiaci auxilii gratiam certo vetustis diebus sollemnibus referebant (cf. pugnae Marathoniae Charisteria, Munichia; tamen Toepffer l. c. p. 927 Aeantea circa 16. Munichionis diem celebrata esse censet. quod ut fieri potuit, ita demonstrari nequit).

[4]) II 469 v. 75 sq.: *τήν τε πομπὴν συνέπεμψαν τῶι Αἴαντι.* ergo ephebi Salaminiorum pompam sequebantur. *Αἰάντειον* v. 87 et apud Paus. I 35, 3. hostias in pompa ductas esse e titulorum verbis elucet: *πομπεύσαντες καὶ θύσαντες, ἐπὶ τὴν πομπὴν καὶ θυσίαν.* bis scriptum est *καὶ ἔθυσαν τῶι Αἴαντι*: pompa igitur sacrificii pars est. quod autem sacrificium et pompa in tit. 470 v. 53 inter se separantur, non offendit (cf. quae de horum titulorum compositione exposui s. p. 44 sq.).

[5]) certamen gymnicum, lampada, navium certamen, v. titulos.

[6]) 470 v. 17 et 55. unde Aesculapii sacellum Salamine exstitisse sequi videtur.

[7]) archon Salaminius Ar. *Ἀθ. πολ.* LIV 8.

[8]) nisi recentiorem pompae formam non novimus ac ne hanc quidem ita, ut omnia referri certum sit. sed si Aiacis simulacrum ex ebore sculptum (Paus. I 35, 3) in pompa ductum esset (cf. Meinhold de reb. Salam. p. 42), id certo item atque Plynteriorum et Dionysiorum deductio in titulis esset expressum. — schol. Pind. Nem. II 19 Mommsenius p. 464 perperam huc retulit, v. not. 2.

[1]) CIA IV 2, 477 c.

[2]) II 1 in addendis 573 b.

[3]) mensis Milesius, CIG II 3663 A v. 3, 2082 (cf. Bischoff de fastis Gr. antiqu. p. 396).

phorion) Calamaeorum naturam principalem cognoscamus (messe finita stipulae restant urendae), tamen nec ritus accuratius restituere nec, num etiam Athenis ipsis celebrata sint, diiudicare possumus. accedit quod feminarum sollemnia fuisse e titulo Piraeensi colligendum videtur esse; sed Eleusine etiam viri pompae intererant. cum autem hostias in pompa Eleusinia ductas esse e tituli verbis veri simile sit, hanc fere pompam illic esse institutam conicio: hostias, quae ad Cereris et Proserpinae aram ducebantur, sacerdotes Eleusiniae fortasse tamquam canephori praecedebant[4]), demarchus cum hierophanta sequebatur, concludebat pompam vulgus.

ΗΡΑΚΛΕΙΑ ΤΩΝ ΜΕΣΟΓΕΙΩΝ.

Mesogeorum collegium Herculis cultu communi coniunctum[1]) quotannis Herculis sollemnibus pompam splendidissimam ad illius sacrum deducebat[2]). qua in pompa Herculis et Diomi[3]) sacerdotes, mnemones[4]), pyrphorum[5]), coragogum[6]), praeconem paternum, qui Mesogeorum archontem[7]) adiuvabant, processisse et hostias ductas esse constat[8]).

---

[4]) cui coniecturae cum tituli verba non faveant, tamen non obsunt. quam ea de causa propono, quod plures *ἱέρειαι* cum uno hierophanta nominantur; plures igitur sacerdotes Eleusinios in pompa fuisse veri simile non est. sed etiam e Calamaeorum Piraeensium similitudine feminarum numerus colligi potest.

[1]) CIA II 602 et 603, *Ἀθήναιον* VIII p. 232 n. 2, p. 233 n. 3, cf. Dettmer de Hercule Attico p. 36 sq., Ed. Meyer Griech. Gesch.[2] II p. 81.

[2]) II 602 v. 4, 603 v. 7 et 24. sacrum v. 15 et 27, fortasse inter septentrionem et occasum ab urbe situm, Milchhoefer Karten v. Attika Text p. 24.

[3]) Diomus Collyti filius (Hes. *Διομεῖς*), quem Hercules amaverat, illius cultum Diomeum in Cynosarge instituit (Hes. *Κυνόσαργες*, Phot. s. v., Steph. Byz. *Διόμεια* et *Κυνόσαργες*, Suid. *Κυνόσαργες* et *Διομεῖς*, cf. schol. Ar. Ran. 651. apud omnes eandem fabulam invenimus). cum autem Herculis sollemnia Diomea spectatissima essent (Harp. *Ἡράκλεια*), fortasse etiam Collytenses iis intererant (nam Diomus Collyti filius est, cf. O. Mueller Dorier I p. 441). item fieri potuit, ut Diomi sacerdos etiam eis Heracleis, quae extra Diomeam celebrabantur, interesset. fortasse Collyti quoque Diomus colebatur et Collytenses Mesogeorum quoque Heracleis intererant aut Mesogeorum collegio comprendebantur. quod testimoniis deficientibus definiri nequit.

[4]) sc. *ἱερομνήμονες*, cf. ex. gr. tit. 604 v. 3.

[5]) pyrphori munus parum novimus, quam ut inde ad pompae formam restituendam aliquid colligere possimus. cf. Cumanudem *Ἐφ. ἀρχ.* 1884 p. 84; nam pyrphori Delphicae conferri posse non videntur (BCH XVIII p. 87, Herm. XXVIII p. 621).

[6]) ne hoc quidem uti possumus, ut canephoros in pompa fuisse concludamus, cf. Hes. *χοραγεῖν*. sed illas hostias anteisse per se veri simile est.

[7]) hic in utroque titulo coronatur.

[8]) 602 v. 3 sq. *ἐπεμελήθη τῆς τε θυσίας καὶ τῆς πομπῆς τῶι Ἡρακλεῖ*, 603 v. 5 sq. *τὰς θυσίας ἔθυσε τοῖς τε θεοῖς καὶ τοῖς ἥρωσι καλῶς καὶ κατὰ τὰ πάτρια καὶ τῆς πομπῆς ἐπεμελήθη τῶι Ἡρακλεῖ καλῶς καὶ φιλοτίμως καὶ τὰ κρέα ἅπαντα εἰςέπραξε κτλ.*, v. 24 *συνεπεμελήθησαν τῆς πομπῆς τῶι Ἡρακλεῖ καὶ τῆς θυσίας.* pompa, quae sola nominatur in versu 7, sacrificium continet.

cerimoniam autem huius pompae propriam fuisse e testimoniis non sequitur; immo eiusdem fere formae, cuius pleraeque pompae, videtur fuisse.

ΑΔΩΝΙΑ.

denique Adonia, quae Athenis saeculo quinto aestate summa celebrabantur[1]), tractanda sunt, quamquam neque umquam sollemnia publica fuerunt neque una pompa magna ducta est: ut enim feminae multa Adonidis simulacra prothesi facta lugebant[2]), ita pompae funebres multae ducebantur, quibus et simulacra et hortulos cum ululatu efferebant et ad postremum in rivos aut in mare eiciebant[3]). quae pompae simplices in saecula crevisse videntur; nam anno 301./2. Veneris thiasotae Piraeenses epimeletam ea de causa coronant, quod Adoniorum pompam misisset *κατὰ τὰ πάτρια*[4]). maiorem igitur pompam illos ad mare duxisse concludendum est.

eandem autem pompae formam atque eam, qua iam multo ante Solonem Athenienses cives mortuos efferebant[5]), denuo cognoscimus, scilicet splendidam pompam funebrem, qua Adonis mortuus cum hortulis brevi morituris efferebatur; quam pompam praeficae more vetusto lamentantes prosequebantur. sic temporibus antiquissimis singulos mortuos, sic magnis illis eos, qui pro patria pugnantes ceciderant, sic infimis naturae emorientis numen efferebant.

---

[1]) Plut. Alcib. XVIII, Nic. XIII, cf. Thuc. VI 30. Plat. Phaedr. p. 276 b, leg. V p. 738 c, comici saepius (velut Arist. Lysistr. 389 sqq., cf. Preller-Robert I p. 362, 1). v. quae de Adonide praeclare disputavit Mannhardt A. W. F. p. 273 sqq.

[2]) Plut., Aristoph. l. c.

[3]) Hes. *Ἀδώνιδος κῆποι*, cf. Suid., Eustath. p. 459, Zenob. paroem. c. I 49.

[4]) CIA IV 2, 611 b.

[5]) v. vasa sepulcralia geometrica, velut Mon. dell' Inst. IX t. 39—40.

II.

DE THEORIIS.

Atheniensium pompis eis, quae aut Athenis ipsis aut in Attica ducebantur, absolutis nunc eae tractandae sunt, quas theori Athenienses Pythiis Deliis Olympiis Nemeis Isthmiis instituebant. e quibus et in Pythiorum et in Deliorum pompa eisdem difficultatibus implicamur, quas partim Nikitskyus se mox soluturum esse ante hos sex annos promisit[1]). atque illius verbis ipsis ea, quae, cum adhuc explanatione careant, me prohibent, ne pompas illas accurate restituerem, significare iuvat; sunt autem haec: 'detaillierte Untersuchung ueber alle pythaistischen und deliastischen Geschlechter ueberhaupt und speciell ihre Beziehung zu Delphi und Delos; Verhaeltnis zwischen den Pythaisten bzw. Deliasten und den Theoren; Personal der Theorien und Functionen der einzelnen Mitglieder; ihren Zusammenhang mit den heiligen Sendungen nach Delphi und Delos, darunter auch die Hyperboreersage und die Parasitie; Ursprung und Entwicklung der Beziehungen Attikas zu dem Cultus des Apollon von Delos und Delphi; etc. praeterea Nikitskyus omnia, quae de primitiis Delphos et Delum missis nota sint, denuo diligenter tractanda esse iure dixit. nam postquam Sacro mense Delio, non Thargelione Delia celebrata esse Robertus egregie demonstravit[2]), ea, quae de primitiis Delum missis Mannhardtius disseruit[3]), neque iam de Deliis valent neque ad Apollonia referri possunt[4]). immo hanc quaestionem nunc item atque

---

[1]) Hermes XXVIII p. 629.

[2]) Hermes XXI p. 161 sqq.

[3]) A. W. F. p. 229 sqq.

[4]) Robert l. c. p. 169. sed aliter idem censet Jahrb. V p. 224 sq. not. 11, cum Schoefferi opera Apollonia quotannis, Delia per quinquennium celebrata, Homollii Apollonia Sacro mensi attribuenda esse constare videatur (de Deli ins. reb. p. 37 sqq.; BCH XIV p. 493). certum igitur est quod Robertus dicit et Apollonia et Delia Sacro mense celebrata esse; quod ita, ut Apollonia et Delia eorundem sollemnium dies diversos esse censeret, primus Mommsenius contendit. sed tres causae sunt, quibus,

eam, quae est de Hyperboreorum natura, parum liquere fatendum est. quam cum accurate tractare huius loci non sit, pauca tantum de Atheniensium pompa Delia tamquam certa proferre possum. quae autem de Deliis valent, ea omnia fere ad Pythia quoque pertinent, nisi quod his primitias oblatas esse constat. denique perpauca de pompa Olympia, nihil de Nemeaea et de Isthmia scimus; sed pompas a theoris Atheniensibus ductas esse etiam e paucis quae tenemus testimoniis sequitur.

his autem de pompis non minus quam de multis aliis id, quod infra pluribus exposui, valet, scilicet eas formas, quas aut quinto aut quarto aut etiam primo saeculo inveniamus, temporibus antiquis temere adscribi non posse; nam etiam cerimoniae sacrae sua fata habent.

DE THEORIA DELPHICA.

ac primum quidem ad Pythia, quae Bucatio Delphico, id est Metagitnione Atheniensi, per quinquennium celebrabantur, aggrediamur[5]). separanda autem ea testimonia sunt, quae ad civitatem Atheniensem et ea, quae ad Tetrapolitas pertinent[6]). nam ut Delii Apollinis cultus, qui per totam Paraliam receptus est, ita Pythii per Asopi vallem Tetrapoli allatus inde Athenas pervenit[7]). quo factum est, ut Tetrapolitae suum cultum ita semper servarent, ut possit dubitari, utrum proprias theorias separatim et Delphos et Delum miserint, an una cum Atheniensibus, sed propriis et hostiis et choris insignes. sed cum sacerdotes Athenienses et

---

ne hoc in quaestionis statu acquiescam, impedior. quarum prima fortasse parum gravis est; nam cum Schoefferum secutus Apollinis natalicia ab epiphania separari non posse censeam, id, quod Diogenes Laertius tradit (III 2) Apollinem septimo Thargelionis die esse natum, tamquam errorem neglegere audeo, praesertim cum Delphi deum septimo Bysii die, id est Sacro mense Delio, natum esse tulerint (cf. Robert l. c. p. 225). sed quid cum primitiis, quae iam sollemnibus, quibus oblatae sint, omnino careant, faciemus? atque ne id quidem facile credam Delios, cum mensem Thargelionem haberent, Thargelia, quae Iones omnes celebrabant, non celebrasse; nam quae in Deli insulae ipsius rupibus desiderantur fruges, eae in insulis vicinis metuntur. ergo Thargelia, quibus primitiae illae oblatae sint, Deli exstitisse puto; sed id profecto, quod ex insulae forma elucet, hinc quoque colligimus, cultum rusticum dico Deli partes secundas egisse. contra id, quod temporibus antiquissimis in montis rupibus et in summo monte colebatur numen nautae Ionici initio, postea Iones omnes (Thuc. III 104), Athenienses, Megarenses (Theogn. 775 sqq., Robert Herm. XXI p. 164), quin etiam Messenii (Paus. IV 4, 1) choris et hostiis missis venerabantur (cf. quae infra de theoria Delia disputavi).

[5]) CIA II 545 v. 45, Preller-Robert I p. 265 sq.

[6]) Strab. IX 404, Hes. *ἀστράπτει δι' ἅρματος*, BCH XVIII p. 87, Philoch. in schol. Soph. O. C. 1047, Hermes XXVIII p. 621 sq.

[7]) Curtius Zur Gesch. des Wegebaus b. d. Griechen, Abhdl. d. Berl. Ak. 1854 p. 228, Toepffer Herm. XXIII p. 325 sqq.

Tetrapolitani eadem signa divina spectarent, theorias simul missas esse veri simile est[8]). quod ita factum videtur esse, ut theoria Atheniensis sola usque ad Tetrapolin duceretur, deinde omnes coniuncti via sacra per Boeotiam Delphos proficiscerentur[9]). nobilissimos autem viros et magistratus in theoria fuisse e testimoniis Atheniensibus et Tetrapolitanis elucet[10]); quin etiam ipsa Minervae sacerdos temporibus posterioribus Delphos profecta est[11]). praeterea *ὁδοποιοί* sacri agmen cum securibus praecedebant[12]) et currus, quibus theori utebantur, coronati videntur fuisse[13]). duplici autem munere theori fungebantur, cum et primitias[14]) hostiasque multas[15]) Apollini offerrent et ab illius ara ignem castum domum reportarent. quod Athenienses et Tetrapolitae separatim fecerunt; nam et horum et illorum *πυρφόρον* virginem novimus[16]); ignis autem in tripode sacro, qui in curru ponebatur[17]), transportatus videtur esse[18]).

qui theori quo ordine iter fecerint, licet ignoratur, tamen pompae, quae Delphis ducebatur, formam fortasse non sine aliqua veri specie restituere possumus. atque primum hostiae, fortasse duobus agminibus inter se separatae ad aram ductae et frugum primitiae portatae videntur esse. canephori autem boves praecedebant[19]) et Eunidas tamquam citharistas secutos esse veri simile est[20]). deinde nobilissimus quisque e theoris sequebatur; inter quos pyrphori quoque Atheniensis et Tetrapolitana procedebant; quae utrum ipsae tripodas sacros attulerint an ignem ab ara sumptum in tripodibus aliorum manibus portatis deposuerint, ignoramus neque magis, num lictores illi cum securibus pompam quoque prae-

---

[8]) Philoch. et Strab. l. c.

[9]) Curtius l. c. p. 235 sq., cf. CIA II 545 v. 40 sq.

[10]) Philoch. et Strab. l. c., titul. Tetrap. l. c., Dem. XXI 128 (theori e senatu et thesmothetae), cf. Plat. leg. XII p. 950 d.

[11]) CIA II 550, cf. Delphicam Minervam Pronaeam (testimonia collegit Preller-Robert I p. 195, 1).

[12]) schol. Aesch. Eum. 13.

[13]) Hes. *θεωρικός*, Curtius l. c. p. 220.

[14]) tit. rei publicae Atheniensis Deliacae decumas per enneeteridem oblatas complexus CIA II 985 (v. quae Koehlerus de enneeteride antiqua altero saeculo demum restituta disputavit), tit. Tetrapol. l. c. v. 20.

[15]) hymn. Hom. in Ap. Pyth. v. 357 sqq., Xen. hell. VI 4, 29, Plut. Demetr. XI.

[16]) *πυρφόρος* Atheniensis BCH XVIII p. 87, Tetrapolitana tit. cit. col. A v. 1—2. virgines fuisse e muneris indole concludo.

[17]) tit. BCH l. c. p. 92.

[18]) sic titulum Delphicum BCH l. c. p. 87 fortasse intellegere possumus: — — *ἔλαβεν τὸν ἱερὸν τρίποδα ἐκ Δελφῶν καὶ ἀπεκόμισεν καὶ τὴν πυρφόρον ἤγαγεν Ἀμφικράτης Ἐπιστράτου Ἀθηναῖος.*

[19]) Le Bas Attique 361.

[20]) tit. Tetrapol. l. c. col. A v. 14, cf. Harp. Hes. Phot. Et. M. *Εὐνεῖδαι*, Eustath. p. 1451 (Ψ 740), Toepffer Att. Gen. p. 181.

cesserint, scimus; denique reliqui theori sequebantur. qua via autem pompae Delphicae omnes processerunt, eam etiam hodie ingredi licet[21]). deinde sollemnibus finitis theoria cum igni sacro domum revertebatur. quos autem vicos Atticos tangebat, eis omnibus flammam castam videtur reliquisse. ad postremum in Pythiis Atheniensi et Oenoensi theoriae dissolvebantur[22]).

DE THEORIA DELIA.

minora admodum sunt, quae de ea pompa scimus, quam Athenienses Deli ducebant. nam primum, utut nunc est, Deliorum (sive Apollonio-rum[23])) naturam parum dilucidam esse fatebimur. cum enim frugum primitiae Deliis oblatae non sint — nam Sacro mense, id est Anthesterione Ionico et Attico, primitias exstitisse nemo dicet[24]) — id, quod per se numquam nimis probabile erat, scilicet Ionas nationem maris commerciique peritissimam in rupe vasto[25]) solibus usto ventisque everso religionem agrestem coluisse credi non iam potest. immo cultum rusticum Deli secundum locum obtinuisse censendum est; e theoriae autem formis, quantum quidem notae sunt, nihil sequi videbis.

de qua item atque de Delphica testimonia bipartita sunt, cum haec Tetrapolitas, Athenienses illa spectent[26]). sic autem instituta videtur esse, ut theori Tetrapolitani navem sacram, quae vel saeculo quarto Marathone asservabatur[27]), ingressi Prasias veherentur, ubi theori Athenienses accedebant[28]). deinde, simul ac navis Delum adpulsa est, pompa ad Apollinis aram ducebatur[29]); quae a multis eis, quae saeculo quinto aut institutae aut reformatae sunt, nisi eo, quod chori, dum pompa procedit, carmina decantabant, non differt[30]); nam vel splendidissima illa, quam Nicias prima penteteride Delia per pontem Rhenea Delum duxit, praeter boves multos[31]), quos canephori praecesserunt[32]) et magistratus, deinde

---

[21]) v. BCH XXI tab. XVI.

[22]) nam ex illis proficiscendi signum cognoverant, Philoch. et Strab. l. c.

[23]) cf. not. 4.

[24]) primitias non per novem fere menses ab Hyperboreis per Dodonam Euboeamque Delum ductas esse demonstrare non debeo.

[25]) Aesch. Eum. 9, Eur. Troad. 89.

[26]) Philoch. l. c., Solonis κύρβεις apud Athen. VI p. 234 e—f, Harp. Hes. Suid. Δηλιασταί, BCH III p. 379.

[27]) Demosth. IV 34.

[28]) Paus. I 31, 2, cf. Lolling Ath. Mitteil. IV p. 354 sqq., Toepffer Herm. l. c.

[29]) Plut. Nic. III.

[30]) Plut. l. c.

[31]) CIA II 814 v. 36.

[32]) BCH III p. 379.

chori secuti sunt[33]), Apollini nihil obtulit, nedum religionis antiquae vestigiis insignis fuit[34]); sed vestibus longis theori[35]), peripetasmatis variis, sertis, ornatu aureo, aulaeis pons splendidit. chori autem, qui ut ab Atheniensibus, ita ab aliis Ionibus mittebantur, et carmina, qualia fuerint, e Ceiorum choro, quem Bacchylides docuit, videmus[36]). quos choros singulos pompis finitis statim *γέρανον* saltationem instituisse censendum est[37]).

haec sunt, quae de Atheniensium pompa Delia scimus, pauca sane et ad sollemnium indolem perspiciendam parum apta.

DE THEORIIS OLYMPIA NEMEAEA ISTHMIA.

similis formae — nam ritus antiquiores unde venissent nescio — eae pompae certo erant, quas Athenienses Olympiis Nemeis Isthmiis duxisse quin concludamus, facere non possumus. nam in pompa Olympia pompea illa portabantur[38]) et hostias ductas esse pro certo habeo[39]), Nemeis Athenienses Iovi per theoriam sacrificia faciebant[40]), Isthmiis proedria fungebantur[41]). quas theorias omnes per mare advectas esse inde colligo, quod Isthmiastae nave utebantur[42]). pompae autem omnes sic conformatae videntur fuisse, ut boum multorum agmen, in quo pompea splendebant, theori ornatu atque numero insignes sequerentur. inter quos aliquando Isthmiis Socrates videtur processisse[43]); Demosthenes autem pompam Nemeaeam tamquam architheorus duxit[44]).

---

[33]) cf. Arist. *Ἀθ. πολ.* LVI 4.

[34]) Thuc. III 104 (Deliorum penteteris), Plut. l. c. e Cratini Deliadibus thallophoros (Meineke 2, 33) hac in pompa processisse colligere non ausim, cf. de Wilamowitz Her.[2] I p. 142, 48.

[35]) cf. statuam, quae adhuc Prasiis in rupe Delum versus sedet, Lolling l. c. p. 355, 2, Toepffer l. c. p. 328.

[36]) carm. XVII.

[37]) Plut. Thes. XXI. quam saltationem cum Theseus instituisse diceretur, non solum Delios, sed etiam alios, imprimis Athenienses repetiisse certum est. sed nomen Delium esse Dicaearcho teste credemus. quae *γέρανος* non solum Aphrodisiis, quae Theseus redux factus instituit, sed et Apolloniis Deliisque et Artemisiis Britomartiis saltabatur, cf. Robert Herm. l. c. p. 166 et Jahrb. V p. 225 not. 11, Diels Sibyllin. Bl. p. 91, Pallat de fabula Ariadnaea p. 6.

[38]) (Andoc.) IV 29.

[39]) Plut. Dem. XI 'item atque Pythiis'.

[40]) Demosth. XXI 115.

[41]) Plut. Thes. XXV (Hellanico et Androne testibus), cf. Thuc. VIII 10. Isthmiastis Aeschylum tamquam choro usum esse nemo nescit.

[42]) quod ex utroque loco citato elucet (not. 41). de via pompica v. Paus. II 1, 7.

[43]) Plat. Crit. 52 b, 53 a; cf. Zeller Philos. d. Gr. II 1 p. 55, 1.

[44]) Dem. l. c.

CONCLUSIO.

quoniam Atheniensium pompas singulas tractavimus, quid ex eis de religionis historia colligatur, videamus. quod ita instituendum est, ut aliorum Graecorum pompae principales comparentur. ab eis autem, quibus res facticiae tamquam numina cultae ducebantur, ordiamur.

inter quas pompas eae eminent, quibus arma et tela divinis honoribus celebrata portabantur. atque primum quidem Lacedaemonii veterem thoracem, quo duce Amyclaeos olim vicerant, Hyacinthiis magna pompa instituta deducebant[1]). deinde Argis scutum antiquissimum, quod olim Argivorum summum numen fuisse e cultibus diversis videmus[2]), in pompa ad mare ducebatur neque Minervae simulacrum, nisi multo postea, simul cum scuto ad lavacrum sacrum vectum est[3]). denique Chaeroneorum numen principale vetus hasta, quam Agamemnonis sceptrum esse posteri putabant, quotannis a sacerdotis munere defuncti domo ad novi domum sollemniter deducebatur[4]). qualem hastam sacram Thebis quoque polemarchus asservabat[5]).

cuius generis neque pompas neque cultus apud Athenienses invenimus[6]). quae autem per omnia saecula servata est res facticia,

[1]) schol. Pind. Isthm. VII 18 teste Aristotele.

[2]) cf. etiam Hecatombaea, quae Iunoni celebrabantur (Hermann Gr. Ant. II p. 341, Schoemann Gr. Altert. II p. 491); certaminum enim praemia scuta erant (CIG 234, 1068, 1421, 2810, al., cf. schol. Pind. Ol. VII 152, Zen. Prov. VI 52). praeterea locus quidam Ἀσπίς (a forma) appellabatur (Plut. Cleom. XVII). quo in colle πόλις heroica, si modo exstitit, sita videtur fuisse.

[3]) Callim. lav. Min. 35. *ὠθάνα, φέρεται δὲ καὶ ἁ Διομήδεος ἀσπίς, ὡς ἔθος Ἀργείων τοῦτο παλαιότερον*, schol. ad v. 1. num scutum antiquitus ea de causa ad mare ducebatur, quod illo duce Argivi olim per mare advenerant? cf. Lacedaemoniorum thoracem.

[4]) Paus. IX 40, 11—12. hastam, cui quotidie sacrificia fiebant, sollemniter, id est pompa instituta, domicilium mutasse ultro intellegitur.

[5]) Plut. de gen. Socr. V p. 578 c: archontes tenent *δόρυ* et *σφραγῖδα*.

[6]) panoplia et lectisternium, quod Aiaci parabant, huc non pertinet (Aeantea not. 2); nam Athenienses et cultum a Salaminiis receperunt neque arma tamquam numen ipsum colebant.

fascinum dico, ab eis temporibus, quibus deorum simulacra facta sunt, non tamquam numen, sed tamquam symbolum Bacchicum portabatur. quo factum est, ut etiam in Ptolemaei Philadelphi pompa ut luxuriosa, ita religionis experti fascinum immensum veheretur[7]). sed aliis in cultibus ne symbolum quidem hoc Athenis apparebat, quia religioni cessit puriori et quae divinitatem magis quam deos colebat; videtur enim in cista mystica et in errhephororum canistris latuisse. neque minus Athenis alia symbola mutata sunt, velut e vetere tecto frondeo, quod Scirophoriis portabatur, umbella facta est. quales umbellae vi peculiari neglecta multae tamquam pompea cum reliqua Minervae supellectile sacra in pompa Panathenaica portabantur.

deinde ad eas pompas animum advertamus, quibus deorum deducebantur simulacra. inter quas Boeotorum Daedala primum locum obtinent, quia quatuordecim pupae feminis (nympheutriis) adstantibus in curribus positae ad summum Cithaerona vehebantur[8]). cuius generis alia pompa ea est, qua Sicyonii simulacra, quae Pausanias dicit ἐν ἀποῤῥήτωι, noctu facibus collucentibus et hymnis decantatis e cosmeterio in Bacchi templum quotannis deducebant[9]). tum Lacedaemonii certis diebus Proserpinae simulacrum ligneum ex Helo portu in Eleusinium in Taygeto situm ducere solebant[10]). eam autem pompam, qua Minervae Argivae simulacrum cum scuto ad fluvium vehebatur, supra commemoravimus. denique Smyrnae Bacchi carrus navalis Anthesteriis a litore in urbem ducebatur[11]).

quibuscum pompis si Athenienses comparamus, nullam quae Daedalis aut Sicyoniae similis sit invenimus. qua autem pompa Argivi Minervam ad lavacrum sacrum vehebant — quam aetate minorem fuisse vidimus — ea Atheniensium antiquissima est; nam Iacchus nisi a quinto saeculo Eleusina non ducebatur (atque ne tum quidem tamquam is, quem mystae prosequerentur deus, sed ipse tamquam mysta) neque Bacchus eis, quae nos quidem noverimus, temporibus Anthesteriis in carro navali vectus est; qui mos nisi Icariae, quo deus primum advenit, servatus non videtur esse. sed eius Bacchi, quem Pisistratus Eleutheris Athenas duxerat, adventus quotannis sollemniter repetebatur; tamen ne haec quidem cerimonia per pompam sacram, sed per comissationem fiebat.

denique ne daphnephorias quidem Athenis invenimus, neque eius generis, cuius Thebana erat, qua κωπώ portabatur[12]), neque eius, cuius

---

7) Athen. V p. 201 e.

8) Paus. IX 3, 1—8.

9) Paus. II 7, 5—6.

10) Paus. III 20, 7.

11) Philostr. vit. soph. I 25, 1; cf. Aristid. t. I p. 440 et 373.

12) Procl. apud Phot. Bibl. cod. 239 p. 321, cf. de Wilamowitz Herm. XXXIV p. 223 sq.

Delphica, qua puer Tempe missus inde reducebatur[13]). ea autem, quam Phlyae Thargeliis instituebant, ab iresiona simplici prope videtur afuisse. sed iam eas pompas tangimus, quae non solum Athenis, sed per totam terram semper servatae nulli alii religioni umquam cesserunt, iresionas agrestes dico, quibus deductis rustici messis gratiam deis agebant; quae non peribunt *ὄφρ' ἂν ὕδωρ τε νάῃ καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ*. sed maiorum pomparum splendore cerimoniae rusticae obscurabantur. sic puer, qui verbenam portabat, in pompa Panathenaica latuit neque in Parthenonis zophoro sculptus est. cuius generis pompa paulo maior ea est, quae Oschophoriis ad Phalerum ducebatur. solis autem his in pompis agrestibus et in Bacchicis carmina canebantur, cum in ceteris omnibus, nisi tibicines et citharistae, musicam non exercerent[14]). nam talibus pompis, qualibus apud reliquos Graecos, postea etiam apud Romanos multa illa parthenia decantata sunt, Athenienses omnino carebant[15]). quam autem vestem puellae perioecorum cantantes Orthiae[16]), aut quam Lacedaemoniae fortasse similem in modum Hyacinthiis Apollini offerebant[17]), eam civitas Atheniensis in magnorum Panathenaeorum pompa splendida Minervae Poliadi tradebat. quod autem in pompa Delia choris canebant, Athenienses Deliorum indulgebant mori.

praeterea nisi duae pompae, quae naturam vetustiorem prae se ferant, apud Athenienses non occurrunt. utraque autem ea de causa aetatem tulit, quod purgandi et expiandi vi praedita erat. quarum altera, qua pharmaci ex urbe educebantur, cum ritibus rusticis arte cohaerebat[18]), altera, qua theori Athenienses castum ignem ab Apollinis Pythii ara domum reportabant, non magis quam pompa Delia Atheniensium propria erat[19]). lampadedromiae autem Athenienses e cerimoniis sacris magis

---

[13]) Ael. var. hist. III 1, schol. Pind. Pyth. arg. p. 298 b.

[14]) in Iacchi pompa hymni, nisi in viae sacrae certis locis et postea pannychide instituta, non canebantur, ex Eumenidum exodo nisi invocationes ad tibicinis modos factae non sequuntur neque magis e Pluti exodo carmina nescio qua in pompa decantata.

[15]) e Plutarchi verbis (Thes. XVIII) *τὰς κόρας* (sc. termitem deducentes) *πέμπουσιν ἱλασομένας εἰς Δελφίνιον* parthenium cantatum esse colligi nequit.

[16]) Alcmanis parthenium Bergk fr. 23, Diels Herm. XXXI p. 339 sqq.

[17]) Paus. III 16, 2.

[18]) qui mos non solum variis formis adhuc exstat, sed etiam nova facinora gignit; nam quid aliud rustici Mosquenses suburbani fecerunt, cum anno 1848. Iacobum Miraut-Daussy tamquam cholerae numen interficerent? (Anatole France, Lettres à M. Bergeret.) — praeterea *πομπαῖα*, quae Maemacterione exeunte ducebantur, huc videntur pertinere; sed illorum ne vestigium quidem in cultu publico servatum est, cum 20. Maemact. die simplex sacrificium Iovi *γεωργῷ* fieret.

[19]) de Atheniensium tripodephoria Delphica, quae fortasse cum Boeotorum Dodonaea comparanda est, ea de causa, quod cerimoniam adhuc parum perspicimus, iudicium ferre non ausim; coniecturam supra proposui.

atque magis in certamina gymnica, quin etiam equestria mutatae sunt[20]).

ceterae pompae omnes — neque solum eae, quae saeculo quinto demum institutae sunt — mirum in modum inter se sunt similes. nam veterum et cerimoniarum et symbolorum expertes ita conformatae sunt, ut cives longo agmine splendentes hostias multas, quas canephori praecedebant et musici sequebantur, ad sacrum deducerent. quod ab initio sic fuisse nemo dicet. immo cerimonias sacras per singula saecula multifariam ita immutatas et inter se adaequatas esse censendum est, ut cultus magis atque magis a vetere superstitione discederet, admoveretur ad religionem sinceriorem ideoque simpliciorem. praeterea paulatim haec in desuetudinem venerunt, illa nova recepta sunt et ut in vita, ita posteri etiam in cultu luxuriae aliquantum tribuebant. cuius progressus cum plerumque nisi ultimum gradum non videamus, tamen nonnumquam certa vestigia cognoscimus; nam Hephaestiorum, quae saeculo quinto splendide reformata sunt, praecepta nova tenemus, Lenaea antiquitus simpliciter, sed religiose celebrata in luxuriam versa esse Plutarchus queritur, e Dionysiis agrestibus saeculo quarto Piraea splendida facta sunt pompamque Deliam Nicias tali ornatu atque luxu circumdedit, ut earum, quas post Alexandrum reges duxerunt, quasi praenuntia esse videatur[21]).

e pomparum igitur Atheniensium formis, quod apud multas alias gentes valet, scilicet cultus formas antiquissimas semper servatas esse, Athenis non valere discimus. nam ut in philosophia et in artibus, sic Athenienses etiam in cultu nova semper creaverunt neque umquam in eis, quae a proavis tradita erant, acquieverunt; sed cum cerimonias sacras magis atque magis purgarent exaequarentque inter se et paulatim propius ad eam fidem accederent, qua numen coleretur, dei Stoici unius optimi maximi religionem praeparaverunt.

---

[20]) exemplum insigne equitum certamen est, quod Bendideis instituebatur, Plat. res publ. I p. 328 a. vide illud '*καινόν γε τοῦτο*'.

[21]) Plut. Nic. III.

CORRIGENDA.

lege in p. 11 not. 66 v. 3 vix poterit
in p. 13 v. 6 σωτῆρες
in p. 15 v. 10 offerrent
in p. 17 not. 104 v. 5 glossa maior, quae est
in p. 17 not. 104 v. 8 illum Cratini librum
in p. 20 not. 132 v. 4 Goett. gel. Anz.
in p. 23 not. 151 v. 6 Sciroph. not. 17.
in p. 31 not. 196 v. 1 CIGI I 4 [cancellis deletis]
in p. 40 not. 35 CIA II 834 b
in p. 46 v. 7 deflectet
in p. 52 not. 39 v. 1 p. 1761.

adde in p. 62 not. 1 haec: cf. Oschophoriorum caduceum, s. p. 49 cum nota 22.

leviora corrigere nolui.

Berolini, typis W. Pormetter.


Stanford University Libraries
3 6105 025 859 534